Exemples de Verbes de quatre Conj

PREMIÈRE CONJUGAIS

INDICATIF.

PRÉSENT.

J'aime, *amo*. Tu aimes, *ami*. Il aime, *ama*.

Nous aimons, *amiamo*. Vous aimez, *amate*. Ils aiment, *amano*.

IMPARFAIT.

J'aimois, *amava*. Tu aimois, *amavi*. Il aimoit, *amava*.

Nous aimions, *amavamo*. Vous aimiez, *amavate*. Ils aimoient, *amavano*.

PRÉTÉRIT.

J'aimai, *amai*. Tu aimas, *amasti*. Il aima, *amò*.

Nous aimâmes, *amammo*. Vous aimâtes, *amaste*. Ils aimèrent, *amarono*.

PRÉTÉRIT INDÉFINI.

J'ai aimé, *ho amato*. Tu as aimé, *hai amato*. Il a aimé, *ha amato*.

Nous avons aimé, *abbiamo amato*. Vous avez aimé, *avete amato*. Ils ont aimé, *hanno amato*.

PRÉTÉRIT ANTÉRIEUR.

Quand j'eus aimé, *quando ebbi amato*. Tu eus aimé, *avesti amato*. Il eut aimé, *ebbe amato*.

avesti
amato
Nous av
to.
amato
amato

PL

J'avois
avois
avoit
Nous a
mato
vevan
eglin

J'aime
mera
Nous a
mere
amer

Quand
ama
mat
Nous
Vou
Ils

CO

J'aim
am
Nous

JOSEPHI JACOBI A PLENK

CONSILIARII CÆSAREI ET CÆSAREO REGII, SECRETARII AC PROFESSORIS EMERITI IN ACADEMIA MEDICO-CHIRURGICA JOSEPHINA NEC NON MEDICI STATUS MILITARIS SUPREMI,

DOCTRINA
DE
COGNOSCENDIS ET CURANDIS
MORBIS INFANTUM.

Melius est unum servare civem quam mille occidere hostes.

ANTON. PIUS.

VIENNÆ, ET TERGESTI.
APUD JOSEPHUM GEISTINGER, BIBLIOPOLAM.
1807.

PRÆFATIO.

Nulla vitæ humanæ ætatum tanta afsligitur ægritudinum copia quam infantia. Funerum enim frequentia in hoc vitæ stadio adeo est enormis, ut tertio post nativitatem anno vix amplius neonatorum supersit medietas. Quantus demum dolor parentum, si unica spes familiæ, imo quandoque totius regni morte eripitur. Hoc merito nos sumopere incitet, ut majus studium dignoscendis ac curandis infantum morbis impendamus. Hunc in finem hanc epitomen, quæ primas duntaxat lineas de cognoscendis et curandis morbis infantum continet, meis discipulis quondam,

quum artem obstetriciam adhuc tradere mihi incubuit, communicavi et comentario explanavi. Remedia adduxi pauca et talia tantum, quæ a me vel alio fide digno authore fuere inventa efficacissima. Sed ingens mortalitas infantum optime posset impediri, si matres, sanæ saltem, sua ubera prolibus non denegarent et exactius regimen educationis physicæ observarent. Si vaccinatio ubique locorum introduceretur, et si matres ac obstetrices a medicatione infantum infirmorum penitus vel magis saltem abstinerent.

ELENCHUS.

Morbi externi.

De morbis infantum generatim.

Morbi, qui infantes a momento nativitatis ad pubertatem usque affligere quandoque solent, dividuntur respectu ætatis, qua ingruunt,

In morbos *neonatorum*, qui mox vel brevi post partum observantur.

— — *lactentium*, qui sub stadio lactationis

— — *ablactatorum*, qui post ablactionem ad pubertatem usque frequentius observari solent.

Oriuntur morbi infantum

A *constitutione* corporis laxa, debili, valde irritabili et sensili.

A majori *nisu sanguinis* ad caput.

A corporis partium, imprimis dentium *successiva evolutione*.

A *partu laborioso* prægresso vel a *meconio* retento vel *muci secretione* in infantibus majori.

A *frigore atmosphæræ* et *luce* nondum assueta.

A *lacte vitioso*, vel ingestione nimia lactis aut alimentorum farinaceorum

A primarum viarum *debilitate*, unde multiplex saburra gastrica, pituitosa, acida, caseosa, verminosa.

A neglecta *munditie* corporis.

Asphyxia pallida neonatorum.

Functionum vitalium et animalium abolitio apparens cum faciei pallore neonatorum.

Diagnosis. Cordis et arteriarum pulsatio nulla, suspirium nullum. Membrorum omnium laxitas, frigus, motusque nullus. Maxilla pendula, palpebræ conniventes. Faciei pallor cum labiis lividis.

Prognosis. Morbus periculosissimus, plerumque lethalis. Spes vitæ revocandæ affulget; si sub usu excitantium observatur singultuosa quasi thoracis elevatio vel sonus ex ore infantis, dum thorax comprimitur. Si palpebræ aliquantum aperiantur.

Causa proxima esse videtur inertia organi respiratorii.

Causæ excitantes. Partus immaturus vel laboriosus, caput diu inclavatum, compressio funis umbilicalis. Pituitæ congestio circa laryngem. Matris hæmorrhagia vel alius morbus gravis.

Therapia. Si non manifesta adsunt putredinis signa, et placenta nondum ab utero separata *funiculus non abcindatur*, sed in eo relinquatur, ut circulatio debilis adhuc continuetur.

2. Infans illico imponatur *balneo tepido*, cui vinum vel spiritus vini camphortus additur.

3. In balneo modice et per intervalla *fricetur* manu totum corpus. Plantæ vero pedum fricentur scopula setacea. Infans sæpius elevetur ex balneo et huic iterum immergatur. Thorax ad latera repetitim comprimatur et relaxetur, ut artificialis respiratio quasi imitetur. Efficacissimum est *balneum Galvanicum*, in quo unus columnæ polus in balneum, alter vero in thoracem infantis dirigitur.

4. *Inflatio pulmonum:* Hæc ore obstetricis facta est mephytica, hinc fiat potius cum fole *Gorcyano* per nares infantis. *) Effica-

*) Hufeland Annalen der französischen Arzneykunde I. B. 359. S. 5 Fig.

cissimum vero et specificum remedium est inflatio *gasis oxygenii*, quæ mediante vesica tubulo curvato instructa per nares fieri potest. *)

5. *Embrocatio frigida scrobiculi cordis.* Infans locetur ad humum cubiculi et obstetricator ascendat sellam ac ex vase theato sinat guttare aquam in scrobiculum cordis. Hoc bis vel ter pauca interposita mora repeti potest.
6. *Naribus* admoveatur *spiritus salis ammoniaci* vel *cepa* bifariam secta et barba calami irritentur nares ut sternutatio excitetur.
7. Oris et *fancium* cavum *ope penicilli* ex linteo carpto facti bene purgentur a muco. Sic salubris simul sæpe oritur vomitus. Solus digitus non sufficit.
8. *Oris cavo* instilletur vinum forte, liquor anodynus mineralis aut naphta vitrioli, nullatenus vero spiritus salis ammoniaci, inde os pessime vidi combustum.
9. *Ano* injiciatur enema ex aqua, oleo et cuspide salis, ut meconium evacuetur. Enema e fumo-tabaci nimium inflaret abdomen.

*) Optandum foret, ut in omni pharmacopolio machina Galvaniana jam erecta et vesica gase oxigenio repleta prostaret, quæ obstetricatori omni momento ad manus essent, si partum prævideat difficilem.

Hæc remedia excitantia per unam vel duas horas continuari debent, nam prostant exempla infantes asphyctcos post hoc primum tempus fuisse resuscitatos.

Asphyxia livida neonatorum.

Functionum vitalium et animalium abolitio apparens cum livore faciei neonatorum.

Diagnosis. Symtomata adsunt fere eadem ac in asphyxia pallida, at facies livet ac turget, oculi prominent, corpus plerumque adhuc calet, et subinde pulsatio manifesta percipitur in fune umbilicali.

Pro gnosis. Vitæ revocandæ multo major adest spes, quam in asphyxia pallida.

Causa proxima. Sanguinis retentio in capite a fune umbilicali vel orificio uterino collum infantis sub partu diu et valide constringente.

Therapia. Mox post partum e funiculo umbilicali abscisso unum vel duo cochlearia sanguinis emittantur. Id in balneo tepido facilius succedit: Caput et facies aqua frigida abluantur. Injiciatur enema eccoproticum et fiat embrocatio frigida scrobiculi cordis. Si his remediis vita non redit aut facies pallescere incipit omnia excitantia in asphyxia pallida laudata adhibeantur.

Apoplexia infantum.

Cessatio subitanea sensuum ac motus voluntarii cum respiratione plerumque stertorosa vel nulla.

Diagnosis. Morbus a gradus vehementia duplici sub *forma* apparet.

1. Apoplexia *exquisita* ubi sensatio et motus penitus deleta, urina et alvus secedunt, pupilla dilatata, ad lumen immobilis, frigus extremitatum, quandoque spuma ante os et respiratio nulla.

2. — — *imperfecta* seu *Parapoplexia.* Ubi adhuc aliqualis adest sensatio, motus muscularis et respiratio stertorosa.

Prognosis. Morbus est plerumque et cito lethalis. Parapoplexia subinde redit, necat vel paralysim alicujus partis relinquit.

Causa proxima: Morbus nervosus cerebri cujus indolem ignoramus.

Causæ excitantes. Jam ter vidi infantes sanissimos a nutrice in plateam ambulatum portatos cum infante subito mortuo rediisse. Sed lapsus infantis in caput, insolatio, frigus, nimia voracitas, et terror subitaneus, dentitio difficilis, exanthema repulsum, inspiratio nimis fortis ut in infantibus valde irrascentibus et pertussi laborantibus

idem efficiunt. Denique in variolis, morbillis et scarlatina haud raro infantes apoplexia nervosa subito rapiuntur.

Therapia. In apoplexia a nimia voracitate detur *emeticum:* In apoplexia mere nervosa *mixtura antiparalytica*

℞. Florum arnicæ. pug. ij.
Infundantur in aquae unc. iv.
Colaturæ adde.
Napthae vitrioli dr. β.
Syrupi menthæ piperitæ unc. j.
S. omni horæ quadrante detur cochlear parvum.

Externe totum corpus in balneo tepido perfricetur, ano injiciatur enema incitans, naribus admoveatur spiritus salis ammoniaci et cruribus vesicatorium Demum tentetur galvanismus.

Debilitas neophytorum.

Debilitas ingens virium vitalium in neonatis.

Diagnosis. Infantes nascuntur debiles, pallidi, ac frigidi. Dormitabundi papillam mammæ oblatam statim iterum ex ore dimittunt, vagitus et respiratio sunt debiles.

Prognosis. Infantes tales plerumque brevi moriuntur, qui vero forti gaudent vagitu et

ubera non respuunt, plerumque evadunt.

Causa proxima. Systematis nervosi dispositio debilis, non cognita.

Causae excitantes. Partus præmaturus. Progenies a parentibus morbo vel senio exhaustis. Inedia infantis diu tolerata. Hæmorrhagia prægressa matris gravidæ vel infantis ex fune umbilicali. Nutritio sine lactatione vel cum lacte morboso nutricis. Potus non alius quam aqua calefacta. Aer corruptus et humidus cubilium.

Therapia. Infans neonatus in lecto penes matrem calore adhuc diu foveatur. Quotidie balneum tepidum cum herbis aromaticis et pauco vino infusis adhibeatur.

Lac nutricis sit optimæ notæ. Bis de die detur gelatina cornu cervi in jure carnium cum ovi vitello vel jusculum ex cerevisia, lacte et ovi vitello. Demum bis de die cochlearia quædam coffeæ vel succolatæ lacteæ ac vini boni cochlear parvum exhibeantur.

Paralysis.

Musculorum quorundam immobilitas laxa.

Diagnosis. Morbus vocatur *paralysis*, si unum duntaxat brachium vel crus est paralyti-

cum. *Hemiplegia*, si in eodem latere, dextro vel sinistro brachii et cruris adest paralysis. *Paraplegia*, si in utroque latere extremitates superiores vel inferiores vel omnes quatuor simul sunt paralyticae.

Morbus duplici sub *forma* apparet.

1. Paralysis *completa*. Si motus et sensatio in parte quadam abolentur. Pars simul est laxa et frigidior, sensimque tabescit. Pulsus plerumque est debilior et minor.
2. — — *incompleta* seu *Paresis*, si solus motus vel sensatio sola est abolita. Quandoque vero pars paralytica vehementer ab atactu dolet, et convellitur.

Prognosis. Morbus plerumque diuturnus et paralysis completa raro medicabilis. Febris superveniens quandoque est salubris. Saburra gastrica vel verminosa quandoque periodicam inducit paralysim.

Causa proxima, esse videtur apoplexia localis in cerebro vel medulla spinali.

Causæ excitantes. Valida refrigeratio, lapsus infantis, terror subitaneus, abusus opii vel evacuantium, saburra gastrica. Demum apoplexiae prægressae, spina e bifid e et cariei vertebrum, de qua suo loco dicetur, est symptoma.

Therapia. Detur mixtura antiparalytica, mox

descripta, valeriana, aconitum, belladona, guajacum, moschus, tinctura cantharidum, alcali volatile, mercurius, flores zinci.
Externe applicentur fomenta aromatica, urticatio, unquetum volatile, tinctura cantharidum, spiritus formicarum, embrocatio, thermae hepaticae, galvanismus. Vesicatoria in paralysi brachiorum ad septimam vertebram colli; in paralysi extremitatum inferiorum ad lumbos applicentur. Laudatur quoque.

Emplastrum antiparaliticum.

℞. Balsami peruviani dr. ij.
Opii puri sc .j.
Empl. diachyl. gummosi q. s.
M. F. emplastrum, de quo portio quaedam illiniatur telæ sericeæ et applicetur *).

Icterus neonatorum.

Color flavus faciei et albugineae oculorum.
Diagnosis eruitur visu. Plerique fere neonati quarto vel quinto die post partum icterici evadunt, sine omni alia sanitatis labe.
Prognosis. Morbus omni caret periculo et ple-

*) Ottensee vom Schlagfluß und Lähmung. pag. 296.

rumque breve intra tempus sponte evanescit. Icterus vero epidemicus, qui infantes etiam adultiores infestabat, periculo non vacat *).

Causa proxima videtur esse spasmus ductus choledochi; unde bilis ex systemate hepatico in sanguinem absorbetur.

Causae excitantes. Stimulus ab alimento novo nondum assueto. Meconium retentum. Lac nutricis nimis spissum. Icterus matris sub graviditate. Rarissime nascuntur infantes icterici sine ictero matris.

Therapia. Icterus neonatorum facile curatur syrupo eccoprotico, enemate e floribus chamomillae ac frequenti balneo tepido.

Si morbus vero diutius durat, regio hepetis inungatur linimento volatili camphorato et interne detur

Pulvis Schneideri ad icterum.

℞. Gummi Gujaci
Folior senae aa dr. j.
S. bis vel ter de die cochlear parvum.

---

*) Brunning tractatus de ictero spasmodico infantum. Essendiae anno 1772 epidemico. Moriebantur hoc morbo intra tres menses ultra 300 infantes 3 vel 8 praesertim annorum.

Eclampsia seu Convulsio.

Involuntaria musculorum agitatio cum sensationis abolitione, acute decurrens.

Diagnosis. Prodromum morbi sistit somnus inquietus cum frequenti pavore, clamore repentino, et facie sub somno instar ridentis contracta, oculorum sub palpebris semiapertis rotatione, pupillaeque dilatatione. Demum observatur frequens oscitatio, pandiculatio, digitorum extensio vel contractio in pugnum. Tandem subito omnes abolentur sensus et muscul multi vel omnes corporis plerumque per intervalla aliquo tempore involuntarie agitantur.

Pragnosis. Frequens admodum neonatorum morbus et haud raro lethalis. Quo infans junior, quo accessus frequentior et longior, imprimis si infans in intervallis soporosus manet eo pejus. Convulsio ante variolarum eruptionem raro periculosa, sed post eam.

Causa proxima. Irritamentum idiopathice vel per consensum in cerebrum modo incognito agens.

Causa disponens. Ingens infantum irritabilitas, hos adeo facile a leviori etiam irritamento in convulsiones disponit.

Causae excitantes. Nutricis ira, terror, gaudium vehemens, ebrietas, coitus fervidus, si infanti mox ubera praebet. Lac nutricis malum aut nimis parcum vel e mamma indurata. Infantis irascentia ob denegatum quodpiam, quod praefracte petebat, terror subito incussus, subitanea resuscitatio e somno. Lapsus in caput, compressio capitis per vittas nimis arctas aut manus obstetricis caput oblongatum rectificare volentis. Aer nimis frigidus vel corruptus. Retentio meconii, saburra gastrica nimia, ingurgitatio lactis vel pulmenti. Abusus opii vel theriacae. Frequens denique *symptoma* est colicae, calculi urinarii, dentitionis difficilis, variolarum, hydropis cerebrini, exanthematis suppressi.

Therapia. Si saburra gastrica latet, detur *emeticum.* Si facies rubet et frons valde calet, retro utramque aurem ponatur *hirudo* et ano injiciatur *enema* cum asa foetida vitello ovi soluta. Infans imponatur *balneo tepido*, et post hoc totum corpus lavetur *lixivio culinari* vel *sapone* in aqua soluto.

Interne detur cum syrupo liquor cornu cervi succinatus, moschus, camphora vel sal tartari.

℞. Liquoris cornu cervi succinati gt. vij.
Moschi optimi gr. vij.
Camphorae gr. vj.
Extracti hyociami gr. ij.
Syrupi diacodii unc. j.
D. S. omni horae quadrante detur cochlear parvum.

Mixtura alcalina.

℞. Olei tartari per deliquium dr. j.
infusi chamomillae unc. ij.
S. omni horae quadrante cochlear parvum.

Epilepsia.

Involuntaria musculorum agitatio cum conscientiae ac sensationis abolitione periodice ac chronice infestans.

Diagnosis eruitur visu. Paroxysmus subin subito ingruit, vel praecedit vertigo, subsultus tendinum, inflatio abdominis cardialgica, urina aquosa et sic dicta *Aura epileptica.* Haec sensatio est venti frigidi vel calidi aut formicationis vel ictus electrici qui in quadam extremitate incipit, et ad caput vel ventriculum ascendit; et eodem momento paroxysmus plerumque cum clamore incipit. Conscien-

tia et sensatio cessant, infans corruit et omnes musculi involuntarie agitantur, soli pollices manuum in pugnum et plantae pedum manent contracti. Pupilla est contracta et immobilis, os spumat, respiratio est stertorosa et pulsus parvus, inordinatus, intermittens. Finito paroxysmo infantes pauco tempore languent et morbi sunt inscii, alii mox ad suos redeunt lusos.

Prognosis. Paroxysmi quandoque non ultra 15 vel 20 durant minuta subin per mediam vel integram horam et diutius. Paroxysmi redeunt quotidie vel omni septimana aut mense vel tardius. Eclampsia brevi in mortem vel sanitatem desinit, epilepsia vero per annos, imo totam per vitam affligere potest. Epilepsia infantum quandoque circa pubertatem desinit. Haereditaria vix unquam curatur.

Causa proxima. Irritamentum modo incognito in cerebrum periodice agens.

Causa disponens. Persaepe adest constitutio haereditaria, adeo ut plures infantes ex eadem familia hoc morbo laborent.

Causae excitantes. Mater vel nutrix ira vel terrore percita alumno ubera praebens. Terror infanti incussus. Vermes, achores

subito exsiccati, onania praematura puerorum.

Therapia. Durante *paroxismo* impediatur, ne infans caput ad obstaculum durum impingat; linguae apicem sibi mordicus auferat, quod ligno ori imposito impeditur. Vestimenta relaxentur. Naribus admoveri et ori ingeri potest acetum forte, aromaticum camphoratum. Extractio pollicum nihil juvat. Vinculum membro injectum ne aura epileptica ascendat, epilepsiam internam et horrendam inducit anxitatem.

Extra paroxysmum tententur antepileptica specifica, ut flores zinci, valeriana sylvestris, folia aurantiorum, radix paeoniae, moschus, camphora, asa foetida, opium, elixir acidum *Halleri*, oleum animale *Dipelii*, cuprum ammoniacum, mercurius dulcis et nuperrime laudatum saccharum saturni.

Trismus neonatorum.

Spasmus musculorum, qui maxillas contrahunt.

Diagnosis. Morbus infantes plerumque primis quatuordecim post partum diebus, raro tardius infestat et duo format stadia.

1) Stadium *prodromi.* Infantes jam primis post partum diebus evadunt inquieti, et multum plorant. Urinam mittunt aquosam, alvi constipatione vel diarrhoea laborant, saepius oscitant, musculi faciei tremunt, oculi in orbitis haerent torvi et lachrimosi, albuginea flavescit Papillam mammae saepius desiderant, at illam ore vix praehensam cito iterum cum clamore dimittunt.

2) Stadium *completum.* Sensim ac sensim maxilla inferior ad superiorem attrahitur. Quod digito ori infantis imposito innotescit. Maxillae tamen ad unius vel duarum liniarum spatium manent separatae. Demum spasmus musculos colli et spinae dorsi, semsimque totius corporis infestat, unde caput retrorsum vel ad latera trahetur. Deglutitio impeditur, ingesta redeunt per nares, alvus et urina supprimitur, abdomen mire intumescit, respiratio evadit anhelosa et celeris, vox rauca et sensim suppressa, facies, totumque corpus maculis notatur rubris, sudor erumpit frigidus et infans moritur. Subin spasmus ante mortem desinit in convulsiones et paralysim unde caput et maxilla delabuntur, alvus et urina sponte egrediuntur.

Prognosis. Morbus vix non semper lethalis. Subin infantes jam post 6 vel 12 horas moriuntur, rarius diem quartam supervivunt, et tunc aliqualis vitae spes affulget.

Causa proxima non innotescit. Spasmus musculorum masseterum et temporalium effectus est morbi.

Causae excitantes sunt eaedem ac eclampsiae, imprimis refrigeratio. Morbus in regionibus calidis frequentissime, in temperatis rarius, in frigidis rarissime occurrit. Ideo in regionibus calidis infantes neonati per novem dies cameris inclusi retinentur.

Therapia. Quam primum signa prodromi apparent, in quo infans adhuc deglutire valet, illico exhibeatur *emeticum* ac vomitione finita mox detur

Mixtura ad trismum.

℞. Decocti valerianae unc. iij.
Moschi optimi gr. vj.
Camphorae gr. iij.
Opii puri gr. j.
Syrupi papaveris albi unc. j.
M. S. omni hora media dentur duo cochlearia parva.

Externe imponatur infans balneo tepido cum valerianae et chamomillae infuso, vel ex lixivio culinari aut aqua saponata. Ano injiciatur enema ex decocto valerianae et asa foetida vitello ovi soluta, et uno grano medio opii. Collum et regiones temporales saepius fricentur *unquento aethereo.*

℞. Olei de hyoscyamo unc. jß.
— chamomillae dr. ß.
— cajeput dr. j.
Spiritus salis ammon. caustici unc. ß.
opii puri scrup. j.
Camphorae dr. ß.
M. S. infricetur et imponatur collo.

Chorea Sancti Viti seu Scelotyrbe.

Instabilitas crurum ac brachiorum absque sensuum feriatione.

Diagnosis. Paroxysmus tremorem in inferioribus vel superioribus partibus excitat, vel morbo praegrediente aegrotus gesticulationes singulares et ridiculas peragit. Sic nec horae momento pedibus in eodem stat situ, modo crura movet instar saltantis, modo incredibili cum celeritate currit ex uno in altrum locum,

aut ingentem facit saltum, quem sanus non fuisset ausus. Modo periculosas ascendit altitudines mira cum dexteritate. Si dextrorsum ire cupit, sinistrorsum pergit, si poculum ori admovere vult, id non linea recta, sed manu huc illuc aliquoties ducta tentat, donec forte fortuna poculum oris labiis apponere valet, potumque subito oris cavo infundit.

Morbus est continuus vel periodicus. Paroxysmi durant unam pluresve per horas. Reditus paroxysmorum est incertus, plerumque de die, rarissime de nocte observatur. Finito paroxysmo corporis lassitudo et mentis hebetudo remanet.

Prognosis. Morbus periculosus non est, nemo moritur in paroxismo, sed diu durans in stupiditatem, epilepsiam, imo in apoplexiam abire potest.

Causa proxima. Convulsio antagonistica musculorum; adeo ut extensores illico convellantur, si flexores agunt et vice versa.

Causa disponens. Morbus ingruit plerumque 10 inter et 14 annum. Multo plures puellas, quam pueros afficit. Extremitates sinistrae plerumque plus afficiuntur quam dextrae.

Causae excitantes. Frequentissima est terror su-

bitaneus, inde jam sexies choream vidi. Sed etiam refrigeratio et vermes morbum inducere valent.

Therapia. Prosunt quandoque flores zinci et thermae hepaticae. Ego vero ex omnibus remediis, contra hunc morbum laudatis, efficacissimam inveni herbam Chenopodii ambrosiodis *). Pulveris datur bis vel ter de die scrupulus unus et simul manipulus unus ad libram aquae in infuso.

Sardiasis seu risus sardonicus.

Spasmus faciei, ac si infans sub somno rideret.

Diagnosis eruitur visu. Insultus plerumque subito incipit. Infantes videntur dormire, sed palpebris semiclausis, et bulbis oculorum se continuo moventibus. Musculi faciei et labiorum motum exhibent tremulum, ac si infans ex somno grato rideret. A minimo autem contactu infans cum summo pavore et clamore assilit in lecto, mammas avide praehendit, sed illas iterum subito dimittit. Abdomen plerumque est inflatum, crura versus illud

---

*) Beobachtungen der K. K. Med. Chir. Josephs-Akademie. 1. B. S. 43.

attracta, facies apparet decrepita, palpeprae pallido vel livido ambiuntur annulo. Respiratio evadit curta et infans soporosus ac cum vel quandoque sine convulsionibus externis erumpentibus moritur.

Prognosis. Morbus est periculosissimus, plerumque lethalis. Nutrices periculi ignarae laetantur de risu infantis dormientis.

Causa proxima est partium convulsio interna.

Causae excitantes sunt eaedem ac eclampsiae, imprimis tormina ventris vel si infans pleno ventre statim in lectum reponitur.

Therapia. Illico injiciatur enema eccoproticum cum asa foetida vitello ovi soluta. Ponatur infans in balneum tepidum, in quo abdomen tumidum leniter fricetur et interne detur

Linctus antispasmodicus.

R. Liquoris cornu cervi succinati gt. vj.
Moschi optimi gr. iv.
Syrupi diacodii unc. j.
S. omni horae quadrante cochlear parvum.

Singultus.

Momentanea contractio diaphragmatis.

Diagnosis. Praeceps, sonora, repetita et mo-

mentanea auditur contractio sub inspiratione.

Prognosis. Morbus plerumque est transitorius. Sed periculosus si sopiri nequit.

Causa proxima. Convulsio diaphragmatis.

Causae excitantes. Refrigeratio infantis sub fasciatione vel mammae nutricis sub lactatione. Ingurgitatio nimia pulmenti. Aphthae ventriculi.

Therapia. Abdomen tegatur liniteo calido, vel fumo aromatico imbuto. Ori indatur puxillum sacchari pulverati, vel una alterave gutta liquoris anodini mineralis. Si vero morbus diutius continuaret, detur acidula Selterana et moschus ac applicetur balneum tepidum.

Vomitus.

Ejectio violenta contentorum ventriculi per os.

Diagnosis eruitur visu. Plerumque ingens copia pituitae tenacis, quandoque humor mere caseosus vel mere lacteus ejicitur. Subin sanguis, rarssimae humor meconialis.

Prognosis. Vomitus pituitosus et caseosus salubris est, lacteus vero inducit debilitatem et maciem. Vomitus sanguineus e

papilla nutricis haustus periculo caret et vomitus meconialis neonatorum ab intestino quodam coarctato vel concreto plerumque die septimo est lethalis *).

Causa proxima. Ventriculi ac preli abdominalis contractio simultanea convulsiva.

Causae excitantes. Refrigeratio infantis, nimia ingurgitatio lactis vel pulmenti. Lac nutricis nimis pingue aut post inebriationem vel post iram infanti statim exhibitum. Agitatio nimia in cunis. Acor vel pituita multa in ventriculo. Frequens denique est *symptoma* dentitionis, hydropis cerebri, eruptionis variolosae ac tussis convulsivae.

Causa disponens. Infantes ob magnam ventriculi irritabilitatem facillime vomunt.

Therapia. Vomitus modicus et rarus relinquatur naturae, si vero nimis evaderet frequens, detur acidula selterana et guttae quaedam liquoris anodyni mineralis. In vomitu *acido* exhibeatur *Tinctura antacida.*

R. Tinct. rhei aquosae dr. vj.
Magnesiae muriae dr. ſs.
Syrup. cort. aurantior. dr. ij.
D. S. omni bihorio exhibeatur cochlear parvum.

---

*) Finke de morbis biliosis anomalis. p. 173. hunc morbum bis et Roederer semel vidit.

In vomitu autem *lacteo* infantum detur pulvis antemeticus *Hufelandi*.

R. rad. valerianae dr. j.
iridis florentinae dr. j ſs.
liquiritiae dr. ij.
Seminis anisi dr. ſs.
Croci optimi gr. viij.
Magnesiae murae dr. j.
D. S. cuspidatim ter vel quater de die.

Externe ventriculi regioni apponatur emplastrum aromaticum cum theriaca mixtum.

Diarrhoea.

Frequens alvi liquidioris excretio.

Diagnosis eruitur visu. Liquidum excretum est plerumque aquosum, subin viride, acidum spirans et striis sanguineis tinctum. Subin fuscum vel cineritium et vehementer foetidum. Plerumque diarrhoea est indolens, quandoque vero valde torminosa.

Prognosis. Incredibile est quam cito infantes praecipue neonati diarrhoea debilitentur, emacientur, ac si torminosa est, necentur. Sed diarrhoea modica in dentitione deficili, aut quae saburram gastricam eliminat, est salubris.

Causa proxima. Contractio spasmodica et frequens intestinorum, ab irritamento quodam in illis haerente et vasa secretoria stimulante.

Causae excitantes. Frequentissima est refrigeratio infantis vel nutricis. Ejusdem mala diaeta, lac nimis tenue, ira vel terror. Nimia ingurgitatio lactis, pulmenti vel fructuum horreorum, aqua non assueta. Denique frequens est *symptoma* dentitionis, vermitionis, variolarum, morbillorum, aphtharum.

Therapia. Diarrhoea saburralis et quae a dentitione est, aliquo tempore relinquatur naturae. Si vero nimis evadit profusa detur

Linctus ad diarrhoeam.

R. Concharum praeparat. dr. j.
Laudani liquidi gt. iij.
Liquoris anod. m. gt. vj.
Syrupi diacodii unc. j.
D. S. omni hora detur cochlear parvum.

In diarrhoea *torminosa* simul injiciatur *Enema mucilaginosum.*

R. Rad. Salep dr. ij.
Coquatur in aquae libr. ſs.
Colaturae adde
Vitelli ovorum No. j.
S. omni bihorio unc. iij. injiciantur ano.

Externe applicetur fomentum ex herbis aromaticis vel emplastrum aromaticum cum theriaca mixtum et lintea fumo aromatico imbuta.

In diarrhoea *chronica* dentur roborantia; ut Simaruba, Quassia, Columbo. Diarrhoea variolosa et morbillosa feliciter saepe sistitur lacte, cum vel sine cinnamomo.

Lienteria.

Eliminatio alimentorum parum aut vix mutatorum per anum.

Diagnosis eruitur visu. Infantes adhuc lactentes sæpe mox post lactationem exonerant pultem caseosua, lac grumosum, rarrissime purum. Infantes vero jam ablactati reddunt frustula integra carnis, olerum, fructuum, cupediarum, lentes vel pisa integra. Infantes alvi secessum vix sentire videntur et laborant siti, calore, macie.

Prognosis. Morbus sibi relinctus in tabem exit lethalem.

Causa proxima. Atonia primarum viarum.

Causæ excitantes. Ingurgitatio nimia ciborum, imprimis solidorum, abusus liquidorum. Praegressa longa diarrhæa vel dysenteria. Vermes, aphthae primarum viarum.

Therapia. Amara cum vino et acidula martiali. Profuit quandoque pulvis antemeticus *Hufelandi*.

Cholera.

Vomitus copiosus cum simultanea diarrhoea torminosa.

Diagnosis. Morbus incipit quandoque cum diarrhoea, frequentius vero cum vomitu vehementi ac febre circa vesperas exacerbante. Colica adest torminosa, sitis inexplebilis, caput calet, extremitates aliquantum frigent. Infans dormit cum palpebris semiapertis. Hae muscas oculis insidentes non abigunt. Quandoque abdomen, facies et extremitates intumescunt, et maculis scatent nigris, et oris cavum nigrescit. Demum singultus et convulsiones vitae miserrimae finem imponunt. Excreta per alvum quandoque valde foetida, quandoque inodora sunt.

Prognosis. Morbus periculosissimus, quandoque jam altero die necans. Quandoque protrahitur diarrhoea ad plures hebdomades et tabe tamen interficit.

Causa proxima. Irritamentum, quo incitabilitas primarum viarum exaltatur.

Causae excitantes. An ardor solis? Morbus enim calidissimo anni tempore in regionibus calidis, imprimis Phyladelphiae epidemicus regnare solet. In nostro climate rarus est.

Causa disponens. A primis mensibus, ad biennium usque infantes in America sunt cholerae obnoxii.

Therapia. Pro potu ordinario detur acidula Selterana, et omni bi vel trihorio exhibeantur paucae guttae laudani liquidi cum aqua menthae piperitae vel cinnamomi. Alii laudant mercurium dulcem vel alumen cum opio *).

R. Mercurii dulcis
Opii puri aa. gr. j.
Fiant pilulae No. vj. S. omni trihorio vel quadrihorio exhibeatur una in syrupo quodam.

Externe applicetur balneum tepidum et abdomini fomentum ex herbis aromaticis vel emplastrum aromaticum cum theriaca. Ano injiciatur.

Enema anodynum.

R. Radicis Salep. dr. ij.
Coquantur in aquae libr. ſs.

---

*) Miller in Medical repository Vol. I. Nr. 3 et 4.

Colaturae adde
Vitelli ovorum No. j.
Laud. liquidi Sydenh. gt. x.
D. S. omni bihorio unc. iij. injiciatur ano.

Prophyllaxis. Extractum corticis peruviani in vino rubro solutum datur in America infantibus sanis pro morbo impediendo. Infantibus vero post morbum toleratum ad primas vias roborandas.

Colica seu Tormina.

Dolor torminosus intestinorum potissimum crassorum non inflammatorius.

Diagnosis. Infantes subito vociferant, cum femorum et crurum attractione versus abdomen. Hoc plerumque est tensum et attactum non fert. Alvi et flatuum plerumque adest retentio. Exacerbatio doloris plerumque observatur nocturna. Infantes difficilius et anxie respirant, ubera avide quidem amplectuntur, at cito iterum papillas ex ore dimittunt. Si vero infans a quopiam erectus ad ubera nutricis servatur, lac sugit ad satietatem *). Excrementa in linteis brevi virescunt. Subin sub quolibet tormine sanguis ejicitur sincerus.

*) Rosenstein l. c. p. 51.

Prognosis Morbus primis septem hebdomadibus infantibus valde frequens et periculo non carens, non raro enim transit in eclampsiam, enteritidem, mortem.

Causa proxima. Irritamentum in intestinis latens.

Causae excitantes. Retentio meconii, vel serior alvi constipatio. Pultis farinacei ingurgitatio nimia, aut praeparatio in vase aeruginoso. Nutricis ira vel ingesta flatulenta aut lac vitiosum. Refrigeratio infantis vel uberum nutricis.

Therapia. Externe abdomen linteamento fumo cumini et benzoe imbuto tegatur atque eodem hoc et spina dorsi fricentur. Vel cum balsamo aromatico et oleo cajeput tegatur. Aut Balneo tepido imponatur. Ano injiciatur enema ex mucilagine salep, vitello ovi et mana parato.

Interne detur infanti oleum ricini si recens haberi potest, vel *linctus anodyno-ecoproticus*.

R. Syrupi manati unc. j.
Salis de Seignet. dr. j.
Ext. hyosciami gr. j.
D. S. omni hora media cochlear parvum.

Ab aliis valde laudatur.

Tinctura alcalina cascarillae.

R. Tincturae aquosae cascar. unc. ij.
Salis tartari gr. v.
Syrupi chamomillae unc. ſs.
S. omni hora exhibeatur cochlear parvum.

In colica veminosa potus lactis et enema ex lacte et sulphure convenit. In prophylaxim torminum detur nutrici

Pulvis nutricum Rosensteinii.

R. Magnesiae muriae unc. ſs.
Flaved. cort. aurantior.
Seminis foeniculi. aa. dr. j.
Sacchari albi dr. ij.
D. S. Bis vel ter de die detur nutrici cochlear parvum.

Helminthiasis seu vermitio.

Vermium praesentia in primis viis.

Frequentissima vermium genera, quae infantes vescare solent, sunt *lumbrici* et *ascarides*, rarissime *taeniae*.

Diagnosis. Morbus plerumque se manifestat per paroxysmos. Subin intervalla bona per hebdomades imo menses observantur.

In *paroxysmo verminoso* observatur abdomen subito tumidulum et torminosum, pruritus narium, pupillarum dilatatio, vul-

tus subinde intermittens, levis horor et calor se excipientes. Lingua sordida, anima foetida vel acida, aquae insipidae regurgitatio e ventriculo in oris cavum. Urina plerumque turbulenta, sudores nocturni vehementes, dejectio alvina diu durans, vel diarrhoea chronica non torminosa. Facies pallida circa oculos livida, ingens appetitus farinaceorum et dulcium, quibus corpus tamen non reficitur. Convulsio plerumque derepente orta sed transitoria. Ascarides fere semper pruritum ani in pueris et simul etiam pubis in puellis causant.

Prognosis. Omnia hucusque recensita vermium signa sunt ambigna, si non simul lumbrici, vel ascarides vel portio taeniae ano subinde secedant. Ascarides facillime, lumbrici difficilius et taeniae difficillime expelli se sinunt.

Causa proxima. Genesis vermium humanorum adhuc ignoratur. An germina verminosa sunt homini innata? Nam jam in abortu vermes fuere visi. Nullibi extra corpus humanum inveniuntur vermes humani. Quodvis densque animalium genus propriam vermium speciem alit.

Causae excitantes. Evolutioni germium vermi-

nosorum favere videntur victus farinaceus, piscinus, potus aquae paludosae. Constitutio epidemica quorundam annorum et constitutio endemica quarundam regionum.

Causa disponens. Infantes adhuc lactentes vix unquam laborant vermibus, sed duntaxat jam ablactati. Haud solum debiles sed nonnunquam fortissimi etiam infantes eliminant vermes.

Terapia. In lumbricis et ascaridibus detur

Pulvis vemifugus.

R. Seminis santonici unc. j.
Radicis jalapae dr. ij.
Florum sulfuris dr. j.
Vitrioli martis gr. x.
M. S. omni bihorio detur cochlear parvum in syrupo quodam. Infantibus adultioribus illiniri potest pani cum melle.

Pulvis vermifugus purgans.

R. Resinae jalapae gr. iv.
Mercurii dulcis gr. ij.
Sacchari albi gr. xij.
M. S. detur pro dosi.

Enema vermifugum.

R. Seminis sabadilli dr. ij.
Coquantur cum aquae unc. x.

Colaturae unc. vij adde
Lactis vaccini unc. vj.

D. S. Medietas mane post alvi secessum et altera circa vesperas vel altero mane applicetur.

Enema contra ascarides.

R. Herbae absinthii dr. ij.
Coquantur cum aqua q. s. ad colaturam unc. iij. Adde
Flor. sulphuris dr. ij.
Lactis vaccini unc. iij.

D. S. medietas mane, altera circa vesperas applicetur.

Haustus Bourdieri contra taeniam.

R. Radicis filicis maris unc. ſs.
Coquatur in aquae libra semis
Colaturae unc. iij. adde
Naphthae vitrioli dr. ſs.

D. S. Mane ventriculo vacuo hauriatur tota portio. Post unam horam elapsam detur cum syrupo quodam unc. j. olei ricini.

Si taenia non secedit, detur idem haustus intra paucos dies adhuc semel vel bis. Potest etiam haustus forma enematis semel tentari.

In omnibus denique morbis veminosis victus sit magis animalis, pro potu communi acidula selterana vel martialis. In

colica verminosa profuit lac cum allio coctum. De febrè verminosa suo loco sermo erit.

Hydrocephalus.

Capitis intumescentia ab aquae collectione extra vel intra cranium.

Diagnosis. Duplici sub *forma* apparet:

1) Hydrocephalus *externus*, qui mox intra galeam aponevroticam et pericranium, mox intra hoc et cranium sedem habet. Tumor subaponevroticus est mollior et major. Subpericranialis vero est minus elevatus, durior et dolentior. Sed distinquatur hydrocephalus ab oedemate capitis et a tumore saccato, aquam continente, qui in neonatis quandoque observatur.

2) Hydrocephalus *internus*, qui intra cranium et duram matrem vel inter hanc et cerebrum in arachnoidea sedem habet. Caput adeo monstrose quandoque intumescit, ut duplo vel triplo naturalem magnitudinem presertim in occipite excedat. Suturae cranii valde hiant. Quaedam loca in capite evadunt pellucida adeo ut cerebrum conspici possit. Ossa cranii ple-

rumque naturalem suam retinent crassitiem. Infantes sunt plerumque soporosi, convelluntur saepius et brevi post partum moriuntur.

Prognosis. Hydrocephalus externus difficulter sanatur. Internus vero nunquam. Infantes plerumquam brevi post partum aut anno moriuntur altero. Raro exemplo morbus ultra 20 duravit annos.

Causa proxima. Impedita absorptio vaporis aquosi intra cerebrum et cranium vel menynges. Hydrocephalus externus plerumque ab interno oritur.

Causae excitantes. Morbus plerumque jam durante graviditate in utero nascitur a causa incognita.

Therapia. Hydrocephalus perfectus vix unquam sanatur. Trepanatio vel incisio suturae hiantis mortem accellerat. Sed tentetur interne mercurius dulcis et lotio capitis cum vino scillitico.

Hydrops cerebri.

Aquae collectio in ventriculis cerebri.

Diagnosis. Morbi decursus plerumque tria format stadia.

1) Stadium *febrile.* Perit infantum alacritas,

Oritur dolor vehemens supra oculos, lucis intolerantia, pupillae vel contractae vel valde dilatatae sunt, oculi evadunt lusci, palpebrae superiores laxae, pendulae, facies est tumidula, mox rubens, mox pallida. Nares perpetuo pruriunt. Infantes in lecto non sine tusse se erigere, nec sine tremore ac titubatione stare valent. Plerumque sunt somnolenti, saepius in somno dentibus strident, subito exclamant, manum saepe ad caput movent. Alvus plerumque constipata, urina parca vel supressa, cutis et lingua sicca. Subin observatur vomitus, rarius diarrhoea et vermium secessus. Pulsus est celerrimus, durus et spasticus. Durat hoc stadium plerumque ad 4 vel 7 dies.

2) Stadium *apyretum*. Celeritas pulsus desinit et non raro evadit naturali tardior. Infans perpetuo ejulat et manu caput vel abdomen attingit. Abdomen tympanitice inflatur et sensilissimum avadit. Pupilla vix a luce admoto contrahitur. Bulbi oculorum deorsum oblique sunt pressi, palpebrae laxae, tumidulae et superiores quasi paralyticae. Visus est obscurus subin plane nullus. Demum ingruit peren-

nis sopor et delirium mussitans, e quo subin vomitu vel panophobia pro momento excitantur. Non raro os frontis in hoc stadio apparet convexius, quam ante morbum.

3) Stadium *lethale*. Tandem ingruit summa debilitas, celeritas pulsus iterum insigniter incresci, is vero perpetuo debilior et minor evadit. Respiratio difficilis, singultus, vomitus, et plerumque convulsiones locales vel universales vitae finem imponunt.

Prognosis Morbus plerumque lethalis. Quidam infantes jam in secundo moriuntur stadio, alii decimo quarto, vel decimo sexto die.

Causa proxima. Impedita absorptio vaporis aquosi in ventriculis cerebri.

Causa excitans plerumque non nota. Sanissimi etenim infantes subinde hoc morbo afficiuntur. Morbus plerumqne infantes biennes et triennes infestat.

Therapia. Interne detur quotitide unum vel duo grana mercurii dulcis. Externe brachiis quotidie infricetur drachma semis unquenti mercurialis et caput diligenter lavetur vino calido scillitico.

Spina bifida.

Tumor super columna vertebrali aquam in hiatu processus spinosi inter medullam spinalem et ejus tegumenta continens.

Diagnosis. Morbus frequentissime est obvius in vertebris lumborum, rarius in dorso vel nucha et rarissime in osse sacro observatur. Tumor plerumque est oblongus vel pedunculatus, pisi vel nucis imo pugni magnitudinis. Coloris initio rubentis dein pallidi. Tumor est indolens et mollis, digito pressus evanescit, at brevi iterum redit. Processus spinosus vertebrae tangitur bifidus. Extremitatum inferiorum, intestini recti et vesicae urinariae simul adest paralysis plus minus completa.

Prognosis. Morbus plerumque post partum intra paucos dies vel septimanas lethalis. Quandoque tamen plures duravit per annos. Tumoris suppuratio, ruptura, incisio mortem accellerat.

Causa proxima. Nisus formativus erroneus in utero, quo processus spinosi vertebralis hiatus vel defectus et aquae collectio in eo nascitur. Quandoque spina bifida cum hydrope cerebri est complicata.

Therapia adhuc nulla nota. Tumor quotidie

spleniolis spiritu vini madidis tegatur et molliter comprimatur.

Anasarca.

Totius corporis intumescentia aquosa.

Diagnosis. Intumescentia totum quidem corpus occupat, at crura et genitalia maxime intumescunt. Palpebrae ac genae potissimum mane magis inveniuntur tumidae.

Morbus duplici sub *forma* post febrem scarlatinam praegressam apparet.

1) Anasarca *frigida*. Intumescentia est mollis, frigida, pallida et foveam a digito impresso retinens. Pulsus est debilis, parvus, vix vel non febrilis.

2) — *calida*. Cutis est dura, calida et foveam a digito impresso non retinet. Pulsus est durus ac celer, respiratio difficilis, lingua sicca, sitis magna, urinae excretio parcissima.

Prognosis. Morbus non minus est periculosus, imo subin periculosior, quam febris scarlatina, quam sequitur. Anasarca calida est frigida periculosior. Quandoque cutis adeo intumescit ut crepet, et aquam effluere sinat. Quandoque simul oritur hydrops cerebri, thoracis vel abdominis.

Praesagienda est anasarca si desquamatio fuit magna, si post toleratam scarlatinam, reconvalescentia est tarda, urinae excretio parcior, horripilatio circa vesperas sentitur Ingruit morbus, ab octavo ad decimum quartum diem.

Causa proxima. Vaporis aquosi depositio in cellulas integumentorum communium corporis ob transpirationem et urinae secretionem imminutam vel suppressam.

Causa excitantes. Utraque anasarcae forma sequi potest febrem scarlatinam, etiam mitem, si infans nimis cito aeri frigido exponitur. Unde adeo frequenter in autumno et hyeme observatur. Sed somnus infantis in cubiculo humido vel scabies suppressa etiam quandoque anasarcam inducunt.

Prophyllaxis. Infans tolerata febre scarlatina adhuc integrum per mensem non exponatur atmosphaerae frigidae. Corpus totum quotidie panno laneo calido fricetur et decoctum radicis ononidis bibatur. Quamprimum vero urina parcius secerni incipit, ponatur infans in balneum tepidum et interne detur *linctus lycopodii.*

R. Farinae lycopodii dr. ij.
Syrupi de althaea unc. i ſs.

Exactissime contritis adde
Aquae communis unc. ij.
S. Omni bihorio dentur duo cochlearia parva.

Therapia. In anasarca *calida* potio mannata cum cremore tartari et solutio emetica detur. Si febris vero valida hyrudines aut venae sectio instituatur. An convenit balneum tepidum in aqua vegeto-minerali? In anasarca *frigida* exhibeatur roob juniperi, spiritus nitri dulcis, radix senegae, oxymel scilliticum, digitalis purpurea

R. Roob juniperi unc. j.
Aquae petrosellini unc. ix.
Spiritus nitri dulcis unc. ſs.
Syrupi cort. aurant unc. j ſs.
D. S. omni hora detur cochlear.

Catharrhus.

Affectio rheumatica in membrana pituitaria narium, faucium, tracheae.

Diagnosis. Morbus, si non mitissimus est, tria format stadia.

1) Stadium *cruditatis.* Infans difficilius sugit et per nares respirat. Dolor obtusus in fronte et motu oculorum, artuum debilitas adest. Sensatio frigoris, frequens horripilatio et calor febrilis circa vesperas,

nec non tussis, humoris acris ac tenuis stillatio e naribus et subin ex oculis observatur. Apetitus, odoratus et sapor aboletur. Fauces evadunt asperae ac vox rauca.

2) Stadium *febrile*. Omnia symptomata morbi circa vesperas augentur. Febris catarrhalis manifeste exacerbatur et primum versus tempus matutinum remittit cum sudore ac symptomatum diminutione.

3) Stadium *coctionis*. Post 7 vel 14 dies tussis ac febris exacerbationes diminuuntur. Sputa antea tenuia evadunt spissiora et puriformia, sudor universi corporis ac sedimentum in urina finem morbo imponunt.

Forma catharri plerumque est *mitis*, si febris mitis vel nulla adest, subinde vero *gravis*, si febris et reliqua symptomata manifesta, *calidus*, in quo febris valida, pulsus plenus et durus, respiratio difficilis, tussis sicca vel sputo cruento complicata, vehemens capitis et artuum dolor, oculi rubentes, urina parca et rubra, cutis, fauces et lingua siccissima.

Catharrhi *epidemici* subin cum typho sunt complicati, et *chronici* longa sua duratione et pectoris oppletione pituitosa aut saburra gastrica noscuntur.

Prognosis. Catarrhus valde frequens est infantum morbus. Mitis periculo caret, sed calidus facile praesertim in infantibus in pneumoniam et mortem transit. Catarrhus neglectus quamvis mitis facile chronicus evadit et in phthysim pituitosam abit.

Causa proxima. Affectio rheumatica vel phlogosis serosa in membrana pituitaria narium, faucium, trachea.

Causæ excitantes. Catarrhus sporadicus semper a subitanea temperaturae mutatione oritur, seu a transitu subitaneo ex frigore in calorem vel ex eo in frigus, unde morbus adeo frequens est vere et autumno. Catharrhus vero epidemicus a miasmate in atmosphaera oriri videtur. In infantibus valde voracibus saepe saburra est causa catarrhi. Symptoma denique est catarrhus morbillorum, dentitionis, pertussis.

Causa disponens. Infantes hypocaustis calidis assueti maxime vexantur catharris.

Therapia. In catharro *miti* moderatus cubiculi et lecti calor, infusum florum sambuci et enema eccoproticum sufficiunt.

In catharrho *graviori* simul exhibeatur sal ammoniacus, qui specificus censetur, et

dari potest in linctu vel emulsione vel mixtura. *Externe* inungatur pectori linimentum volatile.

Emulsio anticatharrosa.

R. Emulsionis amygdalinae unc. iv.
Mucilag. gummi arabici. unc. j.
Salis ammoniaci depurati gr. xij.
Syrupi diacodii unc. j.
M. S. omni bihorio detur cochlear majus.

Si simul *oppletio* pituitosa pulmonum vel saburra gastrica adest, detur emeticum. In catharro *calido* sola mixtura antiphlogistica et hyrudines vel venae sectio in infantibus adultioribus conveniunt.

In catharro *inveterato*, emaciationem inducente, exhibeatur

Mixtura pectoralis roborans.

R. Corticis peruviani, ruditer tusi dr. vj.
Radicis Senegae virginianae dr. j.
Coquantur cum aquae libr. j. ad unc. x.
Colaturae adde
Syrupi capillorum veneris unc. j.
M. S. omni trihorio detur cochlear unum.

Pertussis seu Tussis convulsiva aut ferina.

Tussis vehemens cum inspiratione suffocativa et sono vocis, asinino simili.

Diagnosis. Morbi decursus tria format stadia.

1) Stadium *catharrhosum.* Incipit morbus ut consuetus catharrus. Infantes languent, dolent capite, sentiunt modo horripilationem modo aestum. Oculi sunt turbidi, vox est rauca, saepius sternutant et tussiunt. Tussis est sicca, non dolens, tempore matutino et vespertino, omnique altero die frequentior. Durat hoc stadium 10 dies, subin 14 imo 21.

2) Stadium *convulsivum.* Subito incipit tussis fieri suffocativa. Haec incipit cum profunda et voci asininae simili sono et inspiratione, quam quinque vel sex breves excipiunt sibi succedentes exspirationes. Tales inspirationes suffocativae ter vel quarter oriuntur et quaelibet medium vel integrum durant temporis minutum. Tales insultus intra 24 horas sexies, octies et saepius contingere solent, imprimis post pastum et sub somno. Sub ipso insultu tussis facies evadit rubro - livida, oculi prominent sugillati ex orbitis. Caput et

collum sudore frigido perfunduntur. Totum corpus tremit vel instar statuae riget, manus ac pedes frigent. Pulsus est debilis, parvus vel intermittens. Haud raro e naribus, vel ore erumpit sanguis, urina et excrementa involuntarie prodeunt. Plerumque ad finem paroxysmi sequitur vomitus pituitosus et muci tenacissimi sputum ex trachea.

Praesentiunt infantes ex titillatione gutturis paroxysmum instantem, unde subito matris genua vel aliam rem firmam amplectuntur ne cadant. Finito paroxysmo, qui frequenter omni altero die vehementior recurrere solet, infans aliquantum plorat, sed brevi iterum hilaris ad suos lusus recurrit et cibos petit. Si morbus vero jam diutius duravit, infantes debiles ac pallidi sunt tempore intermedio. Valde voraces permanent et plerumque constipati. Hoc stadium tres, quatuor et quandoque plures per hebdomades durare solet.

3) Stadium *tussis secundariae.* Insultus evadunt sensim mitiores et rariores, fere duntaxat post pastum, multum potum, risum et evigilationem e somno. Sputa antea glutinosa fiunt mobiliora et virido-flava. Sed proclivitas adhuc convulsive tussien-

di saepe per decem, quandoque duodecim manet hebdomades, antequam morbus penitus cessat.

Prognosis. Morbus epidemicus et contagiosus, vix unquam tamen saepius quam semel eundem aggreditur infantem. Morbus ob longam durationem semper taediosus, quandoque mitis, subin adeo decurrit adeo gravis ut mortem inferat. Quo infans junior, debilior, irritabilior, quo vox sub inspiratione acutior et tussis sub exspiratione longior, eo periculosior est morbus. Infantes, qui achoribus capitis aut alio exanthemate chronico laborant, et qui sub paroxysmo vomunt, morbum facilius tolerant. Infantes macilenti facilius quam obesi et dentientes. Quandoque a tussis violentia nascitur sub paroxysmo hernia, struma, prolapsus ani, haemorrhagiae profusae, convulsio, apoplexia, asphyxia, suffocatio et variae desorganisationes in corde, pulmonibus et vasis majoribus thoracis.

Causa proxima. Miasma esse videtur sui generis, systemati respiratorio insiden, cujus indoles ac genesis ignoratur. Morbus semper regnat epidemice et plerumque a Januario ad Martium. Praecedit vel se-

quitur potissimum epidemias variolosas et morbillosas.

Causa disponens. Sola aetas infantilis, rarissime post 20 annum quis laborat vera pertussi.

Prophyllaxis. Prohibeatur conversatio infantum sanorum cum infectis. Alii suadent amuletum ex moscho et camphora.

Therapia. Nondum possidemus remedium specificum in hoc morbo, hinc plerumque imperturbatus tria sua stadia saepissime percurrit. Medela paliativa adhibeatur oportet.

In stadio *primo* seu catharroso, quod plerumque est subinflamatorium, detur emulsio vel mixtura antiphlogistica, et eccoprotica cum sale ammoniaco, et vomitorium.

In stadio *secundo* seu *spastico* laudatur

Pulvis Vogleri.

R. Sacchari albi dr. iij.
Amyli puri dr. j.
Salis essentialis tartari gr. iv.
Rad. ipecacuanhae
Opii puri aa. gr. ij.

D. S. ter vel quater de die cochlear parvum in aqua.

Mixtura ad pertussim.

R. Aquae rutae unc. iij.
Tincturae pectorlis gut. x.
— cantharidum gut. xx.
Lauda. liquid. Sydenh. gut. x.
Syrupi de althaea unc. j.
S. omni bihorio detur cochlear parvum.

Radix belladonnae.

R. Rad. belladonnae gr. v.
Sacch. albi gr. x.
M. F. tales pulveres Nr. vj. S. mane ac vespere exhibeatur unus *).

Flores zinci.

R. Florum zinci gr. iij.
Sacchari albi dr. j.
F. pulv. divid. in vj partes aequales.
S. omni bihorio exhibeatur pulvis.

Laudantur adhuc in hoc morbo opium, castoreum, moschus, asa foetida, valeriana, cicutae aut hyosciami extractum, infusum ledi palustris cum spiritu nitri dulcis et syrupo opii.

Externe adhibeantur balnea tepida, cum her-

---

*) Hufeland's Journal 6 B. • St. und neues Journal 15 B. 1 St.

bis aromaticis infusa. Enemata ex infuso valerianae, asa foetida et opio. Lotio scrobiculi cordis cum aethere vitrioli et spiritu vini camphorato et extremitutum cum tinctura cantharidum. Emplastra irritantia in longis striis thoracem ambientia.

In stadio *tertio* seu *tussis secundariae* transitus fiat ab excitantibus ad roborantia fixa, quibus flores zinci, vel kermes minerale addi possunt. Demum corpus cortice peruviano ultimatim roboretur.

Asthma acutum infantum seu Millari.

Respiratio difficillima subito et periodice infestans.

Diagnosis. Morbus infantes plerumque noctu infestat, quum tamen sanissimi vel parum catharrosi se lecto comiserint. Evigilant e somno cum subitaneo et horribili clamore singularis et profundi soni. Respiratio est difficilis, celer, exigna. Pulsus inordinatus, parvus. Facies et labia livent, venae frontales et jugulares tument. Subito infantes convelluntur et suffocari videntur. At subito cessat paroxysmus cum sternutatione, ructu vel vomitu et infans reliquam per noctem iterum tran-

quille dormit. Post 12 vel 18 horas idem redit paroxysmus suffocativus, sed vehementior est ac diutius durat, et ut primus paroxysmus iterum finitur. Tales paroxysmi 6 vel 8 sequntur, sed semper vehementiores ac longiores quam praecedentes. Infans perpetuo evadit debilior ac tandem suffocatione vel convulsionibus moritur.

Prognosis. Morbus est periculosissimus, plerumque quinto vel sexto paroxysmo lethalis. Quo infans est junior aut morbus adultior eo majus est periculum.

Causa proxima est spasmodica contractio organi respiratorii.

Causae excitantes plerumque ignotae, sanissimi etenim infantes hoc morbo subin corripiuntur. Subin atmosphaera frigido-humida videtur causa esse, at morbus nunquam epidemicus, sed semper sporadicus et periodice decurrens fuit observatus.

Causa disponens. Quandoque brevi post ablactationem, sed plerumque infantes a 2 ad 7 annum infestat.

Therapia. Moschus, oleum cajeput et asa foetida specifice laudantur.

Pulvis moschi.

R. Moschi optimi gr. iv.
Sacchari albi gr. x.
Fiant tales pulveres Nr. vj. S. ter vel quater de die exhibeatur unus.

Eleosaccharum cajeput.

R. Olei cajeput gut. vj.
Sacchari albi dr. j.
M. S. omni bihorio detur cochlear parvum.

Linctus asae foetidae.

R. Asae foetidae gr. x.
Vitelli ovi solutae q. s.
Syrupi diacodii unc. j.
S. omni hora detur cochlear parvum.

Externe balneum tepidum cum herbis aromaticis infusum, Vesicatorium dorso aut synapismus collo vel surris applicatum. Enema ex asa foetida, vitello ovi soluta, et frictio pectoris, dorsi et colli cum unguento volatili, camphorato - opiato.

Physconia.

Tumor durus in ventre sine atrophia infantum. *Diagnosis* eruitur visu et tactu abdominis. Si

mesenterii adest infarctus, abdomen maxime in parte inferiori invenitur durum et tumidum. Caeterum infantes se bene habent, sed valde appetunt panem siccum et cibos farinaceos. Quandoque vero in infantibus solum hepar sine omni labe morbosa adeo *grandescit*, ut hyponchondrium dextrum tumidum et durum tangatur.

Prognosis. Physconia mesenterii facile transit in atrophiam infantum et hepar nimis magnum in ascitem et mortem.

Causa proxima physconiae abdominalis est infarctus mesenterii, sed physconiae hepaticae nisus formativus erroneus.

Causae excitantes. Lac nutricis vel pulmentum lacteum nimis crassum. In infantibus ablactatis esus nimius panis sicci, Solani esculenti, leguminum, fructuum immaturorum. Hepar magnum est frequens symptoma rachitidis.

Therapia. Victus sit magis animalis, quam vegetabilis et detur

Pulvis ad atrophiam.

℞. Salis de Seignet. scr. ij.
Rhei electi gr. iv.

Fiant pulveres tales Nr. xij. S. quotidie exhibeatur unus.

Externe durus venter puerorum unguento volatili camphorato quotidie fricetur et balneo tepido emolliatur.

Atrophia seu Tabes infantum.

Tabescentia corporis cum abdomine duro, prominulo.

Diagnosis. Infantes paullo post ablactationem evadunt pallidi, debiles, tristes ac macilenti. Cutis adeo flaccescit, ut magnas plicas formet et ubique comedonibus repleatur. Abdomen sensim induratur, magis prominet et tactui permultos nodos in mesenterio exhibet. Infantes valde sunt voraces sed appetunt meros cibos farinaceos, siccos, imprimis panem secalinum animales sensim penitus respuunt. Alvus plerumque est constipata, subin interrumpitur diarrhoea. Plerumque secedunt vermes, imprimis ascarides. Sensim circa vesperas motus oriuntur febriles, sitis valida, noctes inquietae. Demum summa macilentia, sceleto similis finem vitae imponit. Aut morbus prius transit in hydropem, phthisim vel diarrhoeam colliquativam.

Prognosis. Morbus valde periculosus imprimis in stadio jam febrili aut cum scrophulis complicatus vel si variolae, morbilli vel scarlatina supervenit.

Causa proxima. Infarctus glandularum mesenterii cum assimilatione laesa alimentorum,

Causae excitantes. Victus ciborum dyspeptorum copiosus, imprimis farinaceorum ut panis sicci, solani esculenti. Usus frequens purgantium. Defectus aeris puri et motus necessarii. Subin complicatio cum diathesi scrophulosa.

Causa disponens. Pauperum infantes imprimis ob victum pravum huic morbo sunt obnoxii. Raro autem post annum nonum observatur,

Therapia. Victus sit animalis, vitellus ovi in jure carnium dilutus, cerevisia bona, acidula selterana, coffea glandium propinetur bis de die.

Inter *medicamenta* imprimis laudantur infusum frigidum corticis peruviani, tinctura martis cydoniata et

Pulvis Fordycei ad atrophiam.

R. Salis de Seignet scr. ij.
Rhei electi gr. iv. ad. vj.

Fiant pulveres tales Nr. xiv. S. Quotidie exhibeatur unus. *)

Externe adhibeantur balnea tepida, frictiones corporis siccae, abdominis vero cum linimento volatili, unguento de althaea et camphora, enemata ex cortice peruviano in lacte vel jure carnis infuso. Si vero mesenterium nimis sentitur tuberculosum, tunc externe leves frictiones mercuriales et interne cicuta adhibeantur.

R. Extr. cicutae
Aquae cinnamami
Syrupi cort. aurant. aa unc. ſs.
M. S. Ter de die detur cochlear parvum.

Hectica seu Tabes nervosa.

Contabescentia corporis cum febre hectica, sed absque abdomine duro et anacatharsi purulenta.

Diagnosis. Morbi decursus tria format stadia

1) Stadium *initii.* Volumen omnium partium quotide magis et magis decrescit, absque vitio visibili. Color faciei et albugineae

*) Fordyce Unterſuchung der faulen- und entzündungsartigen Fieber. p. 227. Miraculi instar dicit curari atrophiam hoc pulvere.

evadit pallido-sordidus. A minimo motu corporis incalescunt et rubor genarum circumscriptus apparet. Valde irritabiles et sensibiles evadunt ac se aegrotare non credunt. Jam in primo hoc stadio febricula observatur, quae continua intermittens est, et a vespera versus tempus matutinum fere durat. Haec innotescit potissimum rubore genarum, ardore volarum manuum et plantarum pedis, nec non copioso sudore matutino. Hoc stadium plures per hebdomades imo subin menses durat.

2) Stadium *augmenti*. Maxime innotescit ex duplicatione febris. Haud solum enim ut in primo sadio paroxysmus observatur vespertinus manifestior, sed etiam alius paroxymus a pastu post prandium sequitur. Interim infantes quotidie magis contabescunt, calor nocturnus est mordax cavum oris coccineum et dentes quasi pellucidi evadunt. Urinae superficies exhibet pelliculam pinguem.

3) Stadium *conclamatum*. Febris evadit continua, pulsus perpetuo celerior et exilior, sudor nocturnus profusior, vox rauca. Crura intumescunt, capilli defluunt, oris

cavum obsidetur aphthis, debilitas quotidie increscit, et mors cum mira mentis tranquilitate sequitur.

Prognosis. Morbus periculosissimus, in stadio tertio semper lethalis. Subin transit antea in hydropem vel phthisim.

Causa proxima. Assimilatio alimentorum impedita.

Causae excitantes. Lac nutricis pravum aut nimis parcum, seu jejunium. Victus cacotrophus. Aer cubiculi humidus et impurus. Vigiliae longae, aut decubitus infantis in eodem lecto cum vetula. Nimis velox corporis incrementum. Nostalgia infantis a matre separati. Studium praematurum, aut praematura onania puerorum. Subin rachitis, morbus scrophulosus, verminosus et atrophia infantum transit in tabem nervosam.

Causa disponens saepe est haereditaria, adeo ut plures infantes ejusdem familiae certa aetate pereant tabe nervosa.

Therapia. Amota causa excitante victus exhibeatur valde roborans et nutriens ex carne tenero, imprimis ferina, vitellis ovorum, pulmento hordei praeparati vel maydis. Potus sit ex acidula selterana cum lacte. Motus exerceatur modicus in aere

purali, salubri. Pro medicamento exhibeatur contra tussim gelatina Salep et contra diarrhoeam syrupus opiatus.

Gelatina Salepina.

R. Radicis Salep pulverati coch. parvum seu dr. j.

Conteratur cum cochleari aquae in pulmentum, dein coquatur in lactis vel juris bubuli libr. j.

D. S. exhibeatur vasculatim.

Syrupus opiato amarus.

R. Extracti quassiae. gr. vj.
Opii puri. gr. j.
Syrupi cort. aurantior. unc. j.
D. S. omni bihorio cochlear parvum

Phthisis pulmonalis ulcerosa.

Tabes corporis ab ulcere pulmonum.

Diagnosis. Morbi decursus tria format stadia.

1) Stadium *initii.* Infantes a levissima causa tussi laborant sicca, qua mane parum muci expectoratur. Respiratio in quolibet motu vehementiori, praesertim sub ascensu scalarum evadit anhelosa. In pectore, et inter scapulas, puncturas sentiunt fugaces vel oppressionem et axietatem.

Post pastum et ad vesperas oritur calor volaticus et siccus cum intercurrentibus horripilationibus. Calor nocturnus somnum impedit. Interim appetitus bene viget et infans tamen contabescere incipit. Genae, labia et caruncula lachrymalis magis rubent, venae jugulares sub profunda etiam inspiratione manent turgidae. Hoc stadium plures per hebdomades imo menses durare in eodem statu potest.

2) Stadium *confirmatum*. Jam omni mane oriuntur sudores, et eodem tempore sub vehementi tusse ejicitur sputum purulentum foetidum, viridiflavum, subin striis sanguineis mixtum. Febris apparente sputo purulento multum minuitur, adeo ut horis matutinis nulla fere adsit febris at tussis, respiratio difficilis, inquietudo nocturna, debilitas virium et contabescentia corporis de die in diem augentur. Vox evadit rauca et urinae superficies contrahit pelliculam pinguem.

3) Stadium *lethale*. Jam oriuntur diarrhoeae colliquativae, aestus febrilis diminuitur quidem at crura intumescunt oedematose, lingua obsidetur aphthis et fissuris. Fauces rubent et deglutio est difficilis. Capilli defluunt, ungues in digitis incurvan-

tur, ingruunt animi deliquia. Sputa foetent et difficilius ejiciuntur, demum penitus supprimuntur cum respiratione difficillima. Pauci sub delirio et convulsione moriuntur, plurimi cum integra sui conscientia placide et frequentissime sub diarrhoea exstinquuntur.

Prognosis. Phthisis ulcerosa morbus plerumque lethalis est, imprimis haereditaria.

Causa proxima. Exulceratio in pulmonibus.

Causae excitantes. Praegressa pneumonia non resoluta, catarrhus calidus diu neglectus. Saepissime autem sequitur variolas, morbillos, scarlatinam et pertussim. An a contagio nutricis phthisicae? Phthisis haereditaria plerumque primum circa pubertatem evolvitur.

Therapia. Victus e carnibus teneris, ovis, et lacte. Motus modicus in aere salubri. Acidula selterana cum lacte. Lac asininum vel humanum ex uberibus mulieris. *Medicamenta* sunto

Decoctum lichenis islandici.

R. Herbae lichenis islandici. dr. vj.
Coquatur cum aqua ad colaturam librae j.
S. bibatur vasculatim cum lacte.

Decoctum radicis Salep.

℞. Radicis Salep unc. ſs.
— liquiritiae dr. ij.
Coquantur cum aquae ad colaturam libr. j.
S. Bibatur vasculatim.

Mixtura saturnina.

℞. Aquae chamomillae unc. iv,
Sacchari saturni gr. j.
Laud. liquidi. Sydenh. gut. xxx.
Syrupi rubi idaei unc. j.
D. S. omni bihorio detur cochlear parvum. *)

Cortex peruvianus, digitalis purpurea, phellandrium aquaticum, fonticuli et setacea in phthisi ulcerosa nihil prosunt.

Tabes dorsalis.

Tabes nervosa a frequenti onania infantum.

Diagnosis. Omnia adsunt tabis nervosae symptomata, sed simul dolor vel formicatio lumborum, et manifesta protuberantia processuum spinosorum dorsi et lumborum. Frequenter laborant polutionibus, insultu epileptico, et melancholico, quae symp-

*) Hufeland's neues Journal. 15. B. 1. St.

tomata in tabe nervosa vulgari non observantur. In puellis onanistis vero stillicidium mucosum e vulva observatur.

Prognosis. Morbus est valde periculosus, et plerumque lethalis, quia infantes onaniae assueti, non amplius noctu saltem a crimine abstinent.

Causae excitantes. Praematura et frequens genitalium titillatio, quae in pueris vix septenibus jam observatur. Pruritus pubis ab ascaridibus demum et nutricum mala consuetudo infantibus tum noctu clamant, genitalia fricandi.

Therapia. Situs sit lateralis in lecto duro et frigido. Genitalia saepius laventur spiritu vini camphorato. Interne detur *Elixir acidum Halleri*

R. Elixirii acidi Halleri dr. iij.
Aquae chamomillae unc. iij.
Syrupi papav. albi unc. j.
M. S. omni bihorio cochlear parvum.

Dentitio difficilis.

Eruptio dentium lacteorum symptomata morbosa inferens.

Ordo et *tempus*, quo dentes erumpere plerumque solent. Erumpit

medium par *incisorum inferiorum* sub finem sexti et initium septimi mensis. Medium par *incisorum superiorum* elapsis nonnullis hebdomadibus postea.

Externum par *incisorum* iterum post aliquot hebdomades. Interdum inferius, interdum par superius.

Primum par *dentium molarium* sub finem anni primi.

Dentes *canini* erumpunt plerumque infe iores primi circa annum secundum.

Secundum par dentium *molarium* sub finem anni secundi vel anno tertio.

Tertius dens *molaris*, qui primus est dens permanens, septimo vel octavo aetatis anno.

Quartum par dentium *molarium* decimo octavo et *quintum* par dentium molarium anno eodem, interdum autem anno vicesimo vel trigesimo.

Elapsus viginti dentium lacteorum. Septimo atatis anno utrumque par dentium incisorum *inferiorum* et octavo *superiorum* vacillare et sensim elapsi incipiunt. A decimo inde ad duodecimum annum dentes canini et prima duo paria dentium molarium decidunt, et a dentibus 32 permanentibus supplentur.

Diagnosis. Gingivae locus, e quo dens erumpere conatur, tumet, calet, prurit. Ideo infans saepe manum ori imponit et corpora dura ori imposita mordet. Ex ore abundantior profluit saliva. Sentit nutrix sub lactatione os infantis calidius et infans papillam nutricis praehensam saepius cito iterum dimittit. Plerumque simul diarrhoea et levis efflorescentia faciei adest.

In *dentitione difficili* totum oris et faucium cavum valde calet. Oculi et genae valde rubent. Diarrhoea sequitur profusa, subin vomitus, cardialgia, colica, tussis pertinax, respiratio laboriosa et stertorosa. Corpus mox ardet et altera hora friget. Nascitur subinde gonorrhoea cum urinae ardore. Subin supervenit hepatitis, sopor, apoplexia, convulsio et mors.

Prognosis. Dentitio plerumque adeo facilis ut nullum inferat morbum. Puellis facilius quam pueris erumpunt dentes. Si primorum dentium eruptio facilis, etiam reliquorum plerumque sic erit. Diarrhoea modica est salubris, sed constipatio non reseranda, periculosissima. Status soporosus aut convulsio haud raro mortem inferunt. Si dentes valde tarde erumpunt rachitis est timenda.

Causa proxima dentitionis difficilis esse videtur durities gingivae. Haec a dente erumpente non quidem perforari videtur, sed a vasis lymphaticis sub dentitione absorberi.

Therapia. Gingiva tumida saepius fricetur cremore lactis acidulo et crustula panis lacti intincta, ori infantis ad comminuendum indatur. Si alvus non laxa est enema eccoproticum et serum lactis dulcificatum convenit. Si febris ingruit valida retro aures 2 vel 3 hyrudines ponantur et interne detur emulsio nitrata. Si vero convulsio superveniat detur mixtura ad trismum et adhibeatur balneum tepidum ac postea synapismus. His omnibus incassum tentatis fiat incisio cruciata in locum gingivae tumidae. Sed etiam hoc raro prodest.

Constipatio.

Alvi exoneratio impedita vel rarior.

Diagnosis eruitur ex relatione nutricis. Abdomen est duriusculum, infans inquietus. Sub nisu ad alvum clamat, rubet, animam retinet et per momenta faciem contrahit.

Prognosis. Diuturna constipatio colicam, ileum, herniam inducere potest. Plerique infantes omni die bis vel ter alvum deponere solent, sed dantur etiam, quibus optima cum sanitate alvus omni altero evacuatur die.

Causa proxima. Motus peristalticus intestinorum segnior.

Causae excitantes. Meconium nimis tenax, lac nimis caseosum, abdominis vinctura nimis arcta, atresia ani, subin intestinorum in abdomine neonatorum concretio, hernia incacerata.

Therapia. Neonatis sufficit lac primum purperae et hoc deficiente serum lactis saccharatum, ac enema emolliens ex aqua, oleo et saccharo. Infantibus vero adultioribus si constipatio pertinacior detur enema cum pauco sale amaro et *linctus rhabarbarinus*

R. Tincturae rhei aquosae unc. ſs.
Syrupi cichorei c. rheo unc. j.
D. S. omni hora duo dentur cochlearia parva.

Acrasia.

Intempestiva et involuntaria alvi depositio, infantum jam adultiorum.

Diagnosis. Secessus alvi nec frequens aut insensibilis nec perennis ut in diarrhoea colliquativa est, sed duntaxat intempestivus, qualis accidit infantibus adultioribus dormientibus et nonnunquam vigilantibus, si tenesmum ad alvum diu negligunt.

Prognosis. Raro est verus morbus, sed plerumque mala consuetudo, quandoque sola aetate evanescens.

Causa proxima. Debilitas sphincteris ani.

Causae excitantes. Consuetudo infantum adultiorum tenesmum ad alvum negligendi. *Symptoma* est spinae bifidae et quandoque prolapsus ani.

Therapia. Caena sit modica, evitentur fructus horrei et alvus exoneretur ante decubitum, anus saepius lavetur spiritu vini, aqua diluto. *Interne* dentur roborantia cum conchis praeparatis. Consuetudo demum prava tenesmum ad alvum negligendi corrigatur minis aut virgis, si infans jam triennis vel quadriennis.

Enuresis.

Intempestiva et involuntaria urinae emissio infantum jam adultiorum.

Diagnosis. eruitur visu et foetore linteaminum

urina conspurcatorum. Dantur infantes octennes, imo decennes, qui se ipsos adhuc imprimis dormiendo, rarius vigilando permingunt.

Prognosis. Morbus periculo quidem caret, at valde sordidus et incomodus est, saepe ab infantia ad puberatem usque durat. Puellae frequentius et diutius hac infirmitate laborant.

Causa proxima. Debilitas aut paralysis, cervicis vesicae urinariae.

Causae excitantes. Consuetudo tenesmum ad urinam negligendi. Diuturna retentio urinae. Malum quandoque, ut in puero vidi, haereditarium est. Est quoque *symptoma* spinae bifidae.

Therapia. Caena non sit jusculenta, et potus exiguus. Evacuetur urina ante decubitum. In malo atrociori ponatur vesicatorium ad regionem ossis sacri et interne detur

Pulvis ad enuresim.

R. Folior. uvae ursi unc. j.
Cantharidum tenuissime pulv. gr. vj.
Sacchari albi. unc. ſs.
D. S. bis de die detur cochlear parvum.

Enuresis *umbilicalis* seu urinae stillicidium ex

umbilico ob urachum in umbilicum, ut vidi, apertum curatur pulvere exsiccante et compressione umbilici.

Stranguria.

Urinae retentio in vesica urinaria.

Diagnosis eruitur ex mictionis defectu. Infantes sunt inquieti et ejulando se contorquent et inanem exercent urinam excernendi conatum. Supra ossa pubis adest praetuberantia ad attactum dolens.

Prognosis. Morbus lethalis, si urinae exitus non procuretur.

Causa proxima. Frequentissima est spasmus in collo vesicae urinariae.

Causae excitantes. Refrigeratio, subin urina arenulosa, in neonatis atresia penis. Maxime vexat infantes dentientes a sexto mense ad biennium fere usque.

Therapia. Infans imponatur balneo tepido, ano injiciatur enema emolliens et pubis regioni applicetur cataplasma ex semine lini et foliis hyosciami. *Interne* vero efficacissimus est

Linctus lycopodii.

R. Farinae lycopodii dr. ij.

Syrupi de althaea unc. j ſs.
Exactissime contritis adde
Aquae communis unc. ij.
D. S. omni bihorio dentur duo cochlearia parva *).

Lithiasis urinaria.

Calculus vel arena in viis urinariis latens.

Diagnosis. Morbus triplici sub forma se prodit.

1) Calculus *renalis*. Pressio et dolor in regione lumbari, quae situi renis vel uretheris respondet. Stupor extremitatis inferioris et simultanea retractio testiculi lateris adfecti. Dolor ex vectione in rheda, subin urina cruenta. Progenies a parentibus calculosis vel podagricis. Subin longa symptomatum observatur quies, sed si calculus mediocris ex rene per uretherem in vesicam urinariam descendit, vehementes dolores lumborum, colica, vomitus, horrores, et quandoque convulsiones oriuntur.

2) Calculus *vesicae urinariae*. Mictus difficilis, ac saepe repentine interruptus et subito saepe iterum profluens urina, si infans se pronum flectit et crura divaricat. Pueri pruritum in glande penis et

*) Hufeland's Journal 2 B. 1 St. 163. S.

gravitatem in perinaeo ot puellae in urethra sentiunt. Plerumque simul sedimentum mucosum in urina adest, quod non ut pus aquam albo tingit colore. Omnia vero haec calculi signa sunt ambigua, si digitus in anum et catheter in vesicam immissus calculum in ea non tangunt.

3) *Arena urinaria.* Excretio arenae albido-rubicundae cum urina. Quae subin dysuriam, mictum difficilem, imo stranguriam, colicam et vomitum causat. Observatio docet, hanc arenam nunquam adesse, ubi veri adsunt calculi, nec esse extimescendos tales, ubi haec arena in urina invenitur

Prognosis. Calculus renalis exiguus adhuc solis naturae viribus per uretherem descendit in vesicam urinarium et ex ea eliminatur. Quandoque sed raro abscessum in regione lumbari excitat, e cujus apertura calculus renalis eximi potest. Calculus exiguus vesicae urinariae etiam quandoque ex ea eliminatur, calculus vero magnus tum renalis tum vesicalis manet impactus.

Causa proxima. Genesis spontanea calculi, quae semper est haereditaria nondum innotescit.

Corpus vero heterogeneum, vesicae urinariae insinuatum dispositione haereditaria non indiget sed videtur instar magnetis materiam calculosam ex urina attrahere et sic in molem increscere ingentem.

Causa disponens. Infantes a parentibus calculosis vel podragricis nati frequenter vexantur calculo vel arena.

Causae excitantes. Si diathesis adest calculosa sine hac nunquam, frequens casei esus, vini acidi et praematurus spiritus vini potus ac vita sedentaria infantum genesim calculi accellerant. Ossiculum denique vel acicula aut aliud corpus acutum ab infante deglutitum et ex intestino vesicam urinariam perforans, dat calculo futuro nucleum. Grumus cruoris in renibus vel vesica diu haerens idem praestat.

Chemica calculi urinarii *differentia* est triplex

1) Calculus *salinus*, maximam partem ex acido urico constans, ideo rubet charta lacmus urinae sub paroxysmo intincta. Colore gaudet dilute luteo ut coffea lactea et solubilis est in lixivio caustico.

2) — *terreus*, ex terra magnesiaca et ammonia phosphorata constat, coloris est albi. Solubilitas in acido salis et vitrioli.

3) — *moriformis*, ex calce acetosellato constans, superficie gaudet papillata, coloris est bruni vel nigricantis Solubilitas in acido nitri et alcali fixo carbonico. Solutio nitrosa est rubra et cutem rubrotingit.

Colla calculi est principium fibrosum animale, quae cimentum praebet quo reliqua principia calculi cohaerent.

Therapia. Efficacissimum remedium, quod calculum solvere valet est *sal alcalinus fixus* *) sal tartari nempe vel soda.

Syrupus alcalinus.

R. Olei tartari per deliquium dr. j.
Syrupi diacodii unc. j.
S. ter de die detur cochlear parvum.

Ingruens paroxysmus dolorosus et spasmodicus tollitur opio praesertim in enemate dato et balneo tepido. Ischuria a calculo in urethram intruso exigit calculi repulsionem ope catheteris. Omnibus incassum exhibitis fiat lithotomia.

Ephidrosis.

Immodica sudatio infantum.

Diagnosis eruitur visu indusiorum perpetuo

*) Burdach Handbuch der neuesten Entdeckungen in der Heilmittellehre S. 273.

madentium. Sudor imprimis noctu et potissimum in capite erumpit.

Prognosis. Infantes inde valde debiles ac macilenti evadunt, ac in tabem incidere possunt.

Causa proxima. Atonia organi cutanei.

Causae excitantes. Lectus plumaceus nimium calidus, aut penes fornacem positus. Cubiculum nimis calidum, caput vitta pellicea et corpus vestitu nimis gravi et calido tectum. *Simptoma* denique est febris hecticae.

Causa disponens. Infantes copiosius quam adulti perspirant, hinc facilius sudant.

Therapia. Vestitus et capitis tegmen sit levis. Pulvinaria lecti e setis equinis et tegumentum lecti leve. Quotidie converset infans in aere libero et aqua subfrigida lavetur. *Interne* si sudatio non remittit, detur infusum salviae ac

Mixtura antidiaphoretica.

R. Infusi salviae unc. iv.
Elixirii vitrioli dr. j.
Syrup. cortic. aurantior unc. j.
S. Omni bihorio dentur duo cochlearia parva.

Blennorhoea genitalium.

Humoris mucosi vel puriformis stillicidium e genitalibus infantum.

Diagnosis eruitur inspectione indusiorum maculis mucosis vel puriforibus, quandoque simul sanguineis conspurcatorum.

Prognosis. Morbus est plerumque transitorius subinde tamen diu durat.

Causa proxima. Glandularum muciparарum in vagina vel urethra secretio aucta.

Causae excitantes. In puellis triennibus et septennibus a refrigeratione genitalium in platea leucorrhoeam vidi catarrhosam. Onania praematura infantum, dentitio subin blennorrhoeam inducunt. Nativitas a matre vel lactatio a nutrice venerea.

Therapia. Summa adhibeatur vigilantia ne infans onaniam exercere possit et detur

Linctus ad blennorhoeam.

R. Balsami Copaivae unc. ſs.
Spiritus nitri dulcis dr. j.
Syrupi ononidis unc. j.
S. ter de die detur cochlear parvum.

Meteorismus.

Intumescentia flatulenta abdominis non diu durans.

Diagnosis. Inflatio elastica adest epigastrii, hypochondriorum vel totius abdominis plerumque indolens et fugax.

Prognosis. Morbus periculosus, si simul febris adest. Ructus et flatus lenimen adferunt. Morbus diu durans in tympanitem abire potest.

Causa proxima esse videtur debilitas ventriculi, si sola ejusdem inflatio vel omnium intestinorum, si totum inflatum est abdomen.

Causae excitantes. Suctio panis saccharati ex nodo lintei. Ingesta flatulenta, ut fructus recentes, legumina, panis recens. Refrigeratio corporis, potus frigidus. Saburra caseosa, acida, vermes. *Symptoma* denique est enteritidis et variarum febrium.

Therapia. Si febris deest, inungatur umbilicus et scrobiculus cordis unquento nervino opiato. Clysma detur ex infuso chamomillae et asa foetida vitello ovi soluta, et dein infans imponatur balneo tepido. *Interne* detur

Mixtura carminativa.

℞. Tinct. rhei unc. j.
Liquoris anod. min. gutt. xx.

Aquae cinnamomi simplicis unc. j.
Syrupi cort. aurant. unc. ſs.
S. omni hora detur cochlear parv.

In meteorismo autem febrium applicetur fomentatio frigida.

Aridura crurum.

Unius vel utriusque cruris emaciatio.

Diagnosis eruitur visu et mensura quotidiana cruris. Quandoque infans cruribus insistere nequit.

Prognosis. Morbus plerumque curatu difficilis.

Causa proxima. Nutritio cruris iminuta ob vitium in arteriis vel nervis cruris

Causae excitantes. Saepe morbus a causa oritur ignota. Subin est *symptoma* violentiae praegressae vel paralysis, fungi articularis aut spinae ventosae.

Therapia. Externe adhibeantur balnea tepida, aromatica, hepatica. Frictio aromatica lumborum et crurum, urticatio, galvanismus. *Interne* detur

Pulvis Vicati ad ariduram.

R. Fuliginis splendentis unc. j.
Sacchari albi unc. iv.
Rad. ireos florentinae unc. ſs.

Aethiops antimonialis
— mineralis
Lap. cancrorum praep. aa dr. ij.
Fiat pulvis tenuissimus et exhibeatur dr.ſs ter de die *).

Imbecillitas crurum.

Impotentia infantum jam annuorum ex sola debilitate crurum pedibus insistendi nondum valentium.

Diagnosis. Infantibus jam biennibus aut triennibus adeo debiles manent musculi extremitatum inferiorum, ut infantes nondum cruribus insistere aut progredi valeant. Cutis tamen adest sensilitas et voluntarius crurum motus.

Prognosis. Morbus plerumque caratu difficilis.

Causa proxima. Atonia musculorum et nervorum cruris sed a causa non cognita adesse videtur. Quandoque constitutio rachitica.

---

*) Cel. Vicat delectus observationum p. 304 hoc pulvere curasse asserit puellam septennem, jam a quinque annis sine causa manifesta adeo aridura crurum affectam, ut cruribus minime insistere posset.

Therapia. Immersio infantis in aquam frigidam ad lumbos usque laudatur *). Interne dentur roborantia.

Claudicatio spontanea infantum.

Claudicatio infantis absque causa manifesta et sine dolore incipiens.

Diagnosis. Morbus sibi relinctus quatuor formare potest stadia.

1) Stadium *indolens.* Infans sensim ac lente incipit claudicare at absque omni dolore in coxa. Nec pes claudicans ullo modo differt a sano, nisi quod infans sub ingressu pedem magis extrorsum ponat

2) Stadium *dolorosum.* Ad finem mensis secundi dolor oritur in coxa, infans magis claudicat et dolor plerumque sensim ad genua usque se extendit. Tertio vel quarto mense morbi pes claudicans longior esse videtur et circa trochanterem majorem impressio percipitur. Haud raro febricula et emaciatio corporis a perpetuo dolore in hoc stadio simul oritur.

3) Stadium *anchyloticum.* Quandoque a pseudomembrana in cavum femoris exsudan-

---

*) Vicat l. c. et Bloch p. 42.

te nascitur anchylosis femoris et omnia morbi symptomata remittunt. Claudiatio vero integram per vitam manet. Quandoque a diuturna genu elevatione et spinae dorsi curvatione anchylosis genu et gibbus nascuntur.

4) Stadium *ulcerosum.* Frequentissimus morbi exitus est suppuratio capsulae synovialis ac caries in capite femoris. Regio coxae ad medium usque femur intumescit ac valde dolet. Saepe una cum crure oedemate afficitur. Demum spontanea fit ruptura abscessus articularis ante vel ad latus trochanteris majoris, et pus eructatur primo aquosum, synoviae simile, dein vero magis sincerum. Si vero caries in articulo jam adest, pus est ichorosum, foetidum, nigricans, festucis osseis saepe mixtum.

Prognosis. Morbus periculosissimus, in exordio suo tamen bene tractatus integre curabilis. Anchylosis superveniens est immedicabilis. Suppuratio vero imprimis cariosa, plerumque tabe necat.

Causa proxima in primo suo stadio non nota. Seriora vero morbi stadia ex superveniente inflammatione capsulae synovialis facile intelliguntur.

Causa excitans non magis innotescit. Claudicatio enim spontanea in primo suo stadio est indolens. Claudicatio vero a lapsu in trochanterem majorem, a luxatione femoris, a fractura colli femoris, ab ischiade rheumatica, vel psoadica, a metastasi variolosa vel scrophulosa incipit cum dolore. Claudicatio a nativa brevitate unius cruris jam a partu adest

Causa disponens. Subin infantes sanissimi hoc morbo corripiuntur, plerumque a secundo ad septimum vitae annum, raro citius, subin tardius. Pueros et puellas pari numero infestat.

Therapia. In primo stadio balnea tepida simplicia vel hepatica et fomenta aromatica adhibeantur de die. Noctu autem unquentum nervinum cum unguenti mercuriali et opio mixtum infricetur. Ponatur fonticulus non super sed supra trochanterem majorem, cui sensim plura et plura imponantur pisa.

Interne exhibeatur

Mixtura alcalina.

℞. Radicis rubiae tinctorum unc. ſs.
Salis tartari. dr. ſs.

Coquantur in aquae unc. x.

D. S. omni hora detur cochlear medium majus *).

Si vero *abscessus* in articulo se formet, relinquatur ejus apertura naturae, nam incisio mortem, ut vidi accellerat.

Clamor nocturnus.

Evigilatio infantis cum diu durante clamore.

Diagnosis eruitur auditu. Sed clamor naturalis a morboso est distinquendus. Sic dantur infantes qui a siti nocturna sponte saepius de nocte evigilant et tam diu clamant, donec illis ubera praebentur aut aqua detur. Imo dantur, qui uberibus solis non contenti simul pulmentum exigunt, quo obtento quiete iterum dormiunt. Infantes, qui se foecibus et urina conspurcatos sentiunt, evigilant et clamant denique infantes, cunarum motui sub somno assueti, si hic intermittitur, et qui interdiu multum dormiunt.

Prognosis. Validus clamor infanti et nutrici

---

*) Colectanea societatis Havniensis. Vol. I. p. 5. Puer septennis unico hoc remedio intra 4 mensium spatium, licet jam septem fistulas in articulatione femoris haberet, curabatur.

quietem nocturnam rapit omnem. Valde intensus infanti herniam praesertim umbilicalem, haemophtisim, apoplexiam inferre solet. Decoctum corticis papaveris vel aliud opiatum clandestine infanti a nutrice ingestum stupiditatem vel lethalem causat soporem, ni illico ipecacuanha infanti detur.

Causa proxima. Sensatio consuetudinis gratae intermissae vel sensatio ingrata sub somno.

Causae excitantes clamoris morbosi. Nimia pulmenti ingestio mox ante decubitum infantis, acus cutem pungens, colica, ingruens dentitio, pruritus cutis, data purgantia vel refrigeratio aut saburra acida. Nutricis menstruatio, coitus fervidus peractus, lac vitiosum, animi pathema, victus pravus.

Therapia Causae clamoris *naturalis*, ut cunarum motus aut comestio et potatio nocturna sunt sensim intermittenda. Infans enim brevi assuescit huic intermisioni.

Clamor *morbosus* exigit enema mucilaginosum, balneum tepidum et victum bonum nuricis et infantis. Fomentum tepidum ad abdomen, vel ejusdem frictio spirituosa, aqua foeniculi cum magnesia et pauco syrupi papaveris albi in colica flutulenta et acida conveniunt.

Panophobia.

Evigilatio subitanea infantis e somno cum clamore et terrore.

Diagnosis eruitur visu et auditu. Quidam ante evigilationem gemunt, tremunt et sudant. Clamor non diu durat, sed quidam post evigilationem interdum desipiunt integram per horam, priusquam ad se redeunt.

Prognosis. Plerumque est signum morbi in corpore latentis.

Causa proxima. Irritamentum e somno excitans.

Causae excitantes. Somnium terrificum, tormina, vermes, ingruens dentitio, hydrops cerebri, eclampsia, variolae.

Therapia. Amoveatur causa, quae morbum instare docet.

Somnambulismus.

Somnus, in quo instar vigilantis varia negotia peraguntur.

Diagnosis. Quidam infantes assident in lecto, loquuntur et se varie movent. Alii e lecto surgunt, dormitorium perambulant, etiam cubilia vicina intrant, fenestras aperiunt, et per has inspiciunt. Alii alia peragunt

negotia. Si vero tibiam vel aliam partem ad durum aliquod obstaculum impingunt, aut fortiter acclamantur illico evigilant.

Prognosis. Morbus facile habitualis evadit si non in suo exordio impeditur.

Causa proxima. Insomnium cum vividissima corporis constitutione.

Causae excitantes. Coena nimis lauta, et vinosa, lectus nimis calidus, vermes, evolutio pubertatis in utroque sexu.

Causa disponens. Maxime aetas pubescens.

Therapia. Coena sit sobria, infans solis lodicibus tectus in situ laterali et capite elevato decumbat. Penes lectum infantis locetur apparatus cum campana, ut infans surgens strepitum edere debeat, quo famula in lecto vicino excitetur. Haec acclamatione, succussu corporis, virgae ictu vel aquae frigidae inspersione in faciem excitet infantem et in lectum reducat. Fenestrae dormitorii sint cancellis ferreis munitae ne infans per eas se dare possit praecipitem, ut aliquoties jam contigit. Valeriana et electricitas quandoque profuere.

Catochus infantum seu Induratio cellulosae.

Totius fere corporis rigiditas a membrana cellulosa indurata.

Diagnosis. Morbus mox vel brevi post partum se manifestat. Induratio imprimis se monstrat in extremitatibus inferioribus et superioribus, in genis, pube ac circa umbilicum. Tumor est durus et digiti impressi vestigium non retinet. Extremitates inferiores adeo sunt tumidae ut curvatae esse videantur. Plantae pedum sunt convexae, ac color rubroviolaceus ab his per crura ad abdomen usque subin ascendit.

Totus infans est frigidus et igni admotus parum ac lente incalescit, remotus cito frigescit. Multi os debite aperire, liquida ori indita deglutire ac clare vagire nequeunt.

Prognosis. Morbus est congenitus et sibi relictus jam tertio vel quarto rarius septimo post partum die infantem necat.

Causa proxima ut et *excitans* nondum innotescit. A sanissimis etenim parentibus quandoque tales nascuntur infantes. Morbus quondam Parisiis et Londini frequentius

observatur. Nostris vero in regionibus vix occurrit, ego illum ex tot millibus neonatorum semel duntaxat Viennae vidi.

Therapia. Profuere aliquoties balnea tepida cum salvia infusa, vapores calidi ad corpus applicati et vesicatoria ad plantas pedum. *Interne* una alterave dabatur guttula laudani liquidi.

Chlorosis infantum.

Pallidus faciei color cum pica absorbentium.

Diagnosis. Haud solum facies, sed etiam labia et lingua pallent. Infantes jam ab incunabulis mortarium, humum, gypsum, carbones vorare solent. Unde physcones et macilenti evadunt.

Prognosis. Morbus per se non quidem periculosus sed sibi relictus in hydropem vel phthisim transit.

Causa proxima. Corporis debilitas cum singulari ac non nota nervorum ventriculi seu apetitus sensilitate.

Causae excitantes. Vita sedentaria in aere impuro. Refrigeratio. Victus vegetabilis et parcus. Longa tristitia, abusus purgantium, haemorrhagia.

Therapia. Victus sit animalis, motus modicus

et balnea adhibeantur tepida. *Interne* a morbi exordio ob nimiam irritabilitatem elixir acidum *Halleri*, postea vero amara cum martialibus adhibeantur.

R. Elixirii acidi Halleri dr. j.
Aquae communis libr. ſs.
Syrupi cort. aurant. unc. j.
S. omni trihorio dentur duo cochlearia parva.

Mixtura amaro-martialis.

R. Aquae cinnamomi simpl. unc. iij.
Extr. gentianae
Tinct. martis pomatae aa dr. ſs.
Syrupi cort. aurant. unc. ſs.
S. bis vel ter de die detur cochlear parvum.

Coerulosis seu morbus coeruleus neonatorum.

Neonatorum color coeruleus totius fere corporis.

Diagnosis. Haud solum facies, sed etiam manus ac ungues neonatorum coerulescunt ac livent, ut manus lotae tinctorum. Prima digitorum phalanx in quibusdam longior et latior est, ac manus perpetuo frigent. Ab omni corporis motu vel potu spirituoso respiratio difficilis, cordis palpitatio ac color atro-ruber partium oritur.

Prognosis. Infantes plerique sic nati aliquot intra menses moriuntur. Quidam tamen ultra annos 20 vitam misere protraxerunt.

Causa proxima. Impedita sanguinis oxydatio in pulmonibus ob ramos arteriae pulmonalis contractos, obliteratos vel materia polyposa infarctos vel ob pulmones tuberculis firmis valde obsessos ut cadaverum docuit lustratio. Foramen ovale in septo auricularum post partum manens apertum morbi causa non est, nullumque sanitati infert damnum, ut experientia docet

Therapia nulla possibilis. Servetur vita quieta et evitentur spirituosa.

Arthritis crescentium.

Dolor articulorum a nimis veloci corporis incremento.

Diagnosis. Infantes septimum inter et nonum annum de dolore genuum, femorum, ac cubitorum subito conquaeruntur. Nullus tamen in articulis dolentibus observatur tumor vel rubor. Quandoque in uno vel utroque inguine apparet bubo crescentium.

Prognosis. Morbus plerumque intra biduum vel triduum evanescit, unde

Therapia opus est nulla. Si morbus diutius du-

raret, balnea tepida et juscula nutrientia ex cerevisia lacte et ovi vitello conveniunt.

Rachitis.

Malus corporis habitus, in quo ossa in suis articulis intumescunt, et in medio curvantur.

Diagnosis. Morbus duplici sub *forma* apparet

1) Rachitis *imperfecta*, in qua ossium articuli duntaxet sunt tumidi. Caput plerumque grandescit, frons prominet, et fontanella tarde ossificatur. In columna vertebrali dorsi processus spinosus dextrorsum in lumbis vero extrorsum tangitur. Dentes tarde ac difficulter erumpunt, brevi nigrescunt ac excidunt. Abdomen imprimis in hypochondrio dextro ob hepatis magnitudinem valde turgidum et haud raro glandulae meseraicae tanguntur induratae. Facies pallet, respiratio aliquantum anhelosa, appetitus bonus, digestio tamen mala, acidum generans et maciem inducens. Lumborum adest languor et segnities ad motum. Plurimi ingenio gaudent praecoci, pauci manent stupidi.

2) Rachitis *perfecta*. In qua ossa curvantur.

Brachium et antibrachium flectuntur introrsum, genua vero ad se invicem accedunt, crura vero extrosum curvantur. Pelvis evadit deformis, unum os iliacum supereminet alteri. Spina vertebralis, sternum et costae deformantur.

Prognosis. Rachitis imperfecta haud raro circa annum septimum vel circa pubertatem absque medicamentis evanescit. Rachitis vero perfecta difficulter integre sanatur, spina dorsi et pelvis plerumque deformia manent. Infantes sapientes phthisi, stupidi autem hydrope cerebri vel pectoris perire solent. Plerumque febris lenta cum animae foetore vitae finem imponit.

Causa proxima. Ossium tanta mollites, ut haec a proprius suis musculis flactantur et durissima cultro discindi facile possint.

Causae excitantes. Morbus est endemius in regionibus humidis, ut in Anglia et Hollandia. Producitur a victu pravo, vita sedentaria, vestitus sordite, aere impuro, severa tractatione parentum. Studio praematuro.

Causa disponens. Progenies a parentibus quondam rachaticis, venereis vel scorbuticis. Morbus haud facile ante mensem sextum

et rarissime post annum decimum infantes infestat.

Therapia. Haec maxima adhibeatur diaetetica. Victus sit animalis. Potus bona cerevisia et modicus vini, coffeae arabicae ac glandium et succulatae usus. Linteamina infantis saepius mutentur et corpus quotidie perfricetur. Somnus non sit nimis longus. Diu quotidie servetur infans in aere libero, puro, sed motus muscularis admodum caute ob crura curvata instituatur.

Infantes rachitici facilius ferunt immersionem in aquam frigidiusculam quam balnea calida. Inter medicamenta imprimis conveniunt aromatica et amara, alcalina et martialia.

Potus aromaticus.

R. Calami aromatici unc. j.
coque in aquae communis libri j. ad colat. unc. x.
S. Detur vasculatim.

Lotio alcalina.

R. Aquae communis libr. j.
Salis tartari unc. ſs.
S. laventur membra rachitica.

Mixtura antirachitica.

R. Rad. rubiae tinctorum unc. ſs.
Salis tartari dr. ſs.
Coquantur in aquae unc. x.
Colaturae adde
Extracti martis pomati gr. xx.
Syrupi cort. aurant. unc. j.
S. omni bihorio detur cochlear majus.

Scrophulosis.

Cachexia sui generis cum intumescentia glandularum lymphaticarum in collo et aliis locis.

Diagnosis. Morbus sibi relictus plerumque quinque format stadia.

1) Stadium *habitus scrophulosi*, qui scrophularum eruptionem praecedit Cutis tenera, alba, genarum rubor gratus, dentes albi, capilli albicantes, iris oculorum ampla et cerulea. Sed caput magnum, frons prominens, fontanella diu hians et labium superius solito crassius, collumque breve. Ingenium et loquella illis est praecox, sed crura tenuia et debilia, unde sedendi amor. Saepius laborant ophthalmia, purulentia palpebrarum, pustulis crustosis circa nasum, labia oris et nucham, exco-

riatione retro aures, sub axillis, in inguinibus et genitalibus. Frequenter laborant corysa et catarrhis. Mucus narium fere semper acris et tenax est.

2) Stadium *evolutionis*. Demum glandulae colli et submaxillares, quandoque etiam inguinales ac mesentericae intumescunt. Hi tumores indolentes, cuti concolores, plerumque mobiles sunt, ac fabae vel castaneae magnitudinem habent In hoc statu saepe ad pubertatem usque permanent. Rubor genarum in hac evanescit, labiorum oris vero manet, aliquamdiu. Ingens oritur voracitas et appetitus acrium ac acidorum.

3) Stadium *exulcerationis*. Scrophulae raro sponte exulcerantur, si vero per suppurantia, caustica vel incisionem irritantur, tunc uberius progerminant, acrius inflammantur, pessime exulcerantur ac sanatae foedas relinqunt cicatrices. Subin tumores albi, abscessus cariosi imo hectica et mors jam in hoc stadio oriuntur.

4) Stadium *scrophulosis internae*. Demum glandulae mesenterii indurantur et atrophiam vel ascitem generant. Si vero glandulae pulmonum afficiuntur, phthisis tuberculosa nascitur.

Prognosis. Morbus haeriditarius sed non contagiosus. Scrophulae in externo duntaxat corporis habitu subsistentes, ingruente pubertatis tempore solis naturae viribus plerumque evanescunt. Scrophulae autem internae seu in mesenterio et pulmonibus sunt valde periculosae.

Causa proxima. Debilitas systematis lymphatico-glandulosi, quae plerumque haereditaria est.

Causa disponens. Progenies a parentibus quondam scrophulosis. Morbus in infantibus raro ante annum secundum ingruit et non raro ad pubertatem usqne perdurat. Adulti homines rarius at tardius scrophulis corripiuntur.

Causæ excitantes. Praesente diathesi scrophulosa morbum facile generant matris lac pravum, victus mere farinaceus imprimis panis secalini et solanorum, aqua insalubris, mundities neglecta, vestitus laneus nimis calidus, perennis sessio, evitatio aeris liberi, cubilia humida et obscura, exigua, frequens alviductio.

Therapia. In primo jam stadio victus sit fere animalis. Potus vero acidula selterana cum lacte. Jentaculum constet ex coffea glandium. Linteamina, vestitus et lectu saepius

cum recentibus mutentur. Corpus quotide fricetur panno, fumo aromatico imbuto, et lavetur cum decocto tepido furfurum. Maxima diei pars transigatur in aere libero sicco ac calido motus corporis in tali aere exerceatur et mens infantis exhillaretur.

Remedia interna, quae in scrophulis profuere, sunt cicuta, calamus aromaticus, quassia, cortex peruvianus, salia alcalina, mercurius gummosus, aethiops antimonialis, et tinctura martis pomata sed imprimis calx muriata ad grana tria vel quatuor de die. Detur hinc *decoctum calami aromatici* et *mixtura antirhachitica* suo loco adnotata.

Externe inungantur scrophulae cum ungento volatili et merculiali mixto. Vel ungento digitalis purpureae cum petreoleo mixto. Alii laudant emplastrum de ammoniaco cum cicuta et emplastro mercuriali praeparatum.

Emplastrum Hufelandi ad scrophulas.

R. Emplastri galbani crocati unc. iij.
Petrolei dr. vj.
Camphorae dr. iij.
Salis cornu cervi volat dr. ij ſs.
m. f. empl. S. applicetur collo.

Si cutis unginosa medicamina non fert, bonum effectum saepe praestat ut vidi, applicatio pellis pillosae cuniculi albi. Conducunt denique balnea tepida, thermae hepaticae vel martiales sed tepidae.

Apertura scrophularum suppurantium relinguatur naturae. Ulcera optime sanantur applicato liquore gastrico bovino.

Syphilis neonatorum.

Morbus a miasmate venereo sub graviditate vel partu comunicato.

Diagnosis. Rarius mox a partu indubia luis venereae symptomata apparent, sed haec plerumque primum post 8 vel 14 dies se manifestant. Oriuntur pustulae in apice suppurantes, vaeriolis fere similes in corporis superficie et interstitiis digitorum manus ac pedis. Palpebrae intumescunt cum copioso profluvio materiae puriformis Sensim nascuntur ulcera lardacea in variis cutis locis, ore, faucibus ac commissuris labiorum. Quandoque in glandulis colli, axillarum aut inguinum erumpunt bubones et in ossibus tumores gummosi. Subinde stillicidium puriforme e naribus, auribus vel vulva nascitur et cir-

ca anum oriuntur condylomata et rhagades. Infantes quotide magis emaciantur et pereunt tabe.

Prognosis. Lues infantum a schancris matris citius erumpit, atrocior et periculosior est, quam a leucorrhoea venerea. Raro evadunt qui lue universali laborant. Lues vero post partum a nutrice venerea nata facilius quam congenita curatur.

Causa proxima. Miasma venereum infanti durante graviditate vel partu communicatum.

Causae occasionales. Lues congenita communicatur infanti si mater gravida venerea est, etiamsi genitalia sint pura, aut si parturiens ulceribus venereis genitalium vel leucorrhoea venerea laborat. Non vero lues vocatur congenita, si infans post partum ab ulcere venereo in papilla nutricis inficiatur vel si quis ulcus venereum in ore gerens infantem osculetur, aut cibum masticatum ori infantis indat. Demum si indusia vel lectus a pure venereo alius infantis conspurcatus pro sano infante adhibentur.

Therapia. Infanti mox a partu detur mercurius gummosus vel dulcis in syrupo quodam, et pro potu communi decoctum Sarsaparillae saturatum.

Syrupus mercurialis.

℞. Hydrargyri vivi depurat gr. xxiv.
Gummi arabici pulv. scrup. iij.
Syrupi cichorei cum rheo pauxillum
Conterantur in mortario vitreo in mucum donec omnes dispareant globuli mercuriales, dein adde
Syrupi cichorei cum rheo unc. j.
D. S. bis vel ter de die detur infanti cochlear parvum. Hoc vero ligneum vel eburneum sit, ne mercurius adhaereat argento.

Pulvis mercurialis.

R. Calomelis gr. j.
Sacchari gr. ij.
Magnesiae albae gr. iv.
S. talis pulvis detur quotidie in vehiculo lactis nutricis.

Externe maculae pustulaeque venereae laventur aqua phagadaenica. Ulceribus vero applicetur

Unguentum mercnriale album.

℞. Unguenti rosati unc. j.
Mercurii praecipit albi dr. j.
M. S. pro deligatione ulcerum.

Nutrici dentur pillulae e mercurio gummoso.

Pruritus infantum.

Sensatio in cute ad scalpendum cogens.

Diagnosis eruitur ex relatione vel visu infantis se saepe in quodam loco scalpentis. Morbus in calore lecti plerumque infestat, in frigore remittit. Vehemens scalptura cutem cruentat; ruborem et ardorem cutis infert.

Prognosis. Morbus impedit somnum, emaciatiationi, et clamori nocturno dat ansam. Subin diu durat et curatu sat est difficilis.

Causa proxima. Sensatio abnormis in cute. Raro tota cutis, plerumque una alterave pars duntaxat prurit.

Causae excitantes. Frequentissima est sorditiés partis. *Capillitium* prurit ab achoribus, porrigine, pediculis; *facies* a crusta lactea serpiginosa. *Aures* pruriunt a cerumine collecto. *Nares* pruriunt a lumbricis, vel hydrope cerebri. *Supercilia* a catarrho vel hordeolo. *Pubis* et *anus* ab ascaridibus. *Manuum digiti* a scabie, *pedum digiti* ac *calcaneus* a pernionibus. *Totum* corpus a sudore acri, sorditie, herpete, imprimis vero a variolis exsiccantibus.

Therapia. Balnea adhibeantur tepida et pars pruriens lavetur cum sulutione sublimati vel cum

Aqua muriata.

R. Aquae juniperi unc. vj.
Spiritus salis acidi dr. ij.
S. Partes prurientes ter quotidie laventur.

Sed primarium est, ut causa pruritus auferatur, interne dari debet calamus aromaticum cum aethiopae antimoniali vel minerali.

Tussis.

Exspiratio violenta, invita, sonora ad obicem e pulmone eliminandum.

Diagnosis eruitur ex auditu, facie rubente ac pulsu concitato

Prognosis. Tussis diuturna somnum impedit, debilitatem inducit, ac violenta haemophthisim ac herniam inducere valet.

Causa proxima. Convulsiva thoracis agitatio.

Causae excitantes. Frequentissimum symptoma catarrhi, dentitionis, pertussis ac phthiseos imprimis tuberculosae est, nec non vermium quandoque.

Therapia. Ad tussim moderandam, donec morbi causa auferatur, detur

Linctus ad tussim.

R. Syrupi de althaea

Mucilaginis gummi arabici aa unc. j;
Opii puri gr. j.
S. omni hora detur cochlear parvum.

Si vero simul intentio est sputa promovendi, addas unum alterumve granum sulphuris antimonii aurati;

Voracitas seu Addephagia.

Appetitus ingens majorem alimentorum copiam ingerendi, quam quae a ventriculo digeri potest.

Diagnosis. Infantes duplum imo triplum consueta ciborum copia sumunt et tamen satiati esse non videntur. Si vero nimia ciborum copia ventriculum onerant vomitu vel cardialgia torquentur.

Prognosis. Morbus curatu quandoque difficilis

Causa proxima. Sensatio famis in nervis ventriculi exaltata.

Causae excitantes. Infantes quadrimi atrophia, physconia, flacciditate carnium, rachitide, vermibus, acido ventriculi vel tertiana laborantes, haud raro simul voracitate afficiuntur. Sed mala nutricum consuetudo infantibus ingentem copiam alimentorum obtrudendi frequentissime voracitatem inducit.

Therapia. Causa morbi auferenda. Acidum in ventriculo absorbentibus, alcalinis et amaris domandum. Semel proficuam vidi gelatinam cornu cervi.

Amentia seu fatuitas.

Ineptitudo judicii et ratiocinii.

Diagnosis eruitur ex infantis jam biennis deficiente judicio et rationis, imo quandoque memoriae ac omnium sensuum internorum defectu.

Prognosis. Morbus fere semper incurabilis, unde tales infantes parentibus miserum ac inutile manent onus.

Causa proxima. Abnormis organisatio cerebri, quae vero non innotescit.

Causae excitantes. Morbus persaepe est congenitus ut a capitis parvitate, hydrocephalo interno, hydatidibus cerebri, partu difficili capitis aut ejusdem lapsu in terram. At sanissimi etiam infantes evadunt totam per vitam fatui, si nutrix vel mater ob clamorem nocturnum infanti saepius et diu opium vel decoctum capitum papaveris albi ingerit.

Therapia adhuc nulla nota.

Cretinismus.

Fatuitas endemica in valibus alpium humido-calidis.

Diagnosis. Infantes neonati sani videntur, at post 1 1/2 vel duos annos perpetuo profluit ex ore mucus tenax et pellucidus. Caput evadit grave et involuntarie antrorsum vel retrorsum cadit. Extremitates sensim facultatem se movendi amittunt, brachia pendula antrorsum et retrorsum, pedes dextrorsum et sinistrorsum moventur. Lingua grandescit, labia oris crassescunt et collum plerumque evadit strumosum, facies lurida et tumidula. Dentes sensim nigrescrescunt Abdomen inflatur et corpus marcescit. Nulla adest aptitudo ad judicandum et ratiocinandum. Loquella vix est intelligibilis. Stupiditas mentis in gradu perfecto tanta est, ut manducationis ciborum et exonerationis alvi saepe obliviscantur.

Prognosis. Morbus est haereditarius, et endemius in valibus alpium. Infantes plerumque juvenes moriuntur. Morbus adultus est incurabilis. Quidam evadunt epileptici, alii maniaci cum pica domus incendendi. Herniis valde sunt obnoxii, sed

scrophulis et contracturis rheumaticis non laborant. Morbis epidemicis raro succumbunt.

Causa proxima. Vitiosa forma in basi ossis occipitalis, qua encephalon comprimitur, unde in nucha percipitur profunditas notabilis versus cranii basim.

Causa disponens. Progenies a parentibus cretinis. Plures pueri quam puellae hoc morbo laborant. Is plerumque ad finem secundi vel tertii anni se manifestat.

Causae excitantes. Constitutio endemica aeris in valibus calido-nebulosis alpium. Raro occurrit morbus in locis planis aut montibus. Victus ex mero pulmento lacteo. Est enim lac in his valibus valde pingue et farina valde viscosa.

Therapia. Praecipuum remedium prophyllacticum consistit in translatione infantis annui e vale insalubri in planitiem vel montem. Si hoc fieri nequit, infans in arena calida exponatur radiis solis, corpus diligenter moveatur et panno laneo fricetur. Caput spiritu lavendulae lavetur. Victus sit parcus, animalis et aromaticus. Vinum bonum saepius de die exhibeatur.

Epistaxis.

Sanguinis profluvium ex uno vel quod rarius contingit ex utroque nare.

Diagnosis eruitur ex visu. Plerumque duntaxat stillatim, quandoque vero, quod periculosius est, sanguis profluit in uno rivo. Morbum saepe praecedit tensio narium, tinitus aurium et capitis hebetudo. At haemorrhagia plerumque sua sponte cessat aliquot unciis effusis.

Prognosis. Morbus infantibus valde familiaris, modicus periculo caret, immodicus vero lethalis fieri potest. Epistaxis habitualis quandoque ad pubertatem usque recurrit et inter 20 et 30 annum haemophthisim et phthisim producit. Si vas sanguinem plorans in narium parte postica est situm, sanguis depluit in fauces et ore eructatur.

Causa proxima. Anastomosis arteriarum exhalantium in membrana pituitaria narium.

Causae excitantes. Accidentales sunt insolatio capitis, motus nimius, potus copiosus vini vel coffeae, lapsus in nasum, crisis febrilis.

Causa disponens ad epistaxim habitualem est constitutio infantis tenera debilis.

Therapia. Modica epistaxis naturae relinquenda, profusa vero nimis sistatur injectio-

ne aquae frigidae in nares. Vel immittatur torunda vel spongia solutione aluminis, vitrioli albi vel aqua Thedenii ebria aut albumine illita et pulvere gummi arabici conspersa.

Si vero sangis per postica narium foramina in cavum oris deplorat, haec ope torundae, filo annexae obturentur. Filum mediante chorda vel stilo sulcato et fexo introducatur per nares in fauces et ope forcipis ex his extrahatur ex ore ac emplastro firmetur ad buccam.

In epistaxi habituali interne exhibeatur emulsio arabica cum tinctura cinnamomi vel serum lactis aluminosum, vel acidum phosphoricum.

Sanguifluxus alvi.

Sanguinis excretio per alvum.

Diagnosis. Sanguis plerumque sine dolore eliminatur per alvum sincerus vel serosus vel cum foecibus mixtus.

Prognosis. Morbus plerumque per septimanam, imo integrum mensem et absque magna functionum laesione recurrere solet. Sed habitualis factus in tabem vel atrophiam abit.

Causa proxima. Anastomosis arteriarum secernentium in intestinis crassis.

Causae excitantes plerumque ignotae. Morbus frequenter in primis tribus vitae annis occurit, subin vero tempore dentitionis. Quandoque vermes, saburra gestrica, ani prolapsus adsunt.

Therapia. Modicus sanguifluxus relinquatur naturae. Sed immodicus vel habitualis sistatur fomento frigido vel spirituoso. Enemate aluminoso. Interne dentur remedia, quae in epistaxi habituali laudavimus.

Sanguifluxus vulvae.

Sanguinis stillicidium e vulva.

Diagnosis patet inspectione vulvae. Quandoque id primo jam mense post partum contingit et iterum cessat. Rarissima autem habentur exempla, puellas quasdam jam primis vitae annis omni mense rite menstruasse.

Prognosis. Morbus plerumque omni caret periculo et sua sponte cessat. Si vero nimis fieret largus ingentem inducit debilitatem.

Causa proxima. Anastomosis arteriarum exhalantium in uteri vel vaginae cavo.

Causæ excitantes plerumque ignota. Subin praematurus vini aut coffeae usus.

Therapia. Sanguifluxus modicus relinquatur na-

turae, largus vero debilitatem inducens sistatur fomento frigido et mixtura cinnamomi.

R. Aquae melissae unc. iv.
Tincturae cinnamomi. dr. j.
Syrupi melissae unc. j.
S. omni media hora detur cochlear majus.

Ephemera.

Febris continua unius plerumque diei.

Diagnosis. Incipit absque praegressa lassitudine cum levi horripilatione, capitis dolore, siti, anorexia et subsequente calore. Facies est nonnihil inflata cum rubore genarum. Pulsus celerrimus at mollis est, sudor halituosus, urina vix mutata, sub declinatione vero jumentosa. Interdum desinit cum labiis pustulosis.

Prognosis. Morbus mitis est, frequensque infantum aegritudo, at omni periculo caret.

Causa proxima. Motus cordis et arteriarum cum perennitate accelleratus ab incitamento facile amovendo.

Causae excitantes. Refrigeratio infantis aestu calentis. Constitutio epidemica aeris, praesertim diu flante borea. Insolatio vel hy-

pocaustum nimis calidum, imprimis si infans in cunis penes fornacem locetur. Dentitio difficilior, eruptio achorum vel parotidum. Constipatio alvi vel urinae. Ingluvies vel cibus dyspeptus aut inasuetus infanti datus. Infantes verminosi saepius laborant ephemera.

Denique ira vel terror nutricis aut infantis. Nutricis potus spirituosus, menstruatio aut coitus fervidior.

Therapia. Detur infusum sambuci vel chamomillae cum succo citri vel sale essentiali tartari et si alvus est constipata, enema emolliens.

Synocha seu febris infammatoria.

Febris continua plurium dierum a vi vitali vasorum exaltata.

Diagnosis. Plerumque subito ingruit, fortis at non diu durans horripilatio et frigus adsunt, quod calor sequitur universi corporis. Pulsus est plenus, durus, aequalis, raro valde frequens. Facies et universi corporis superficies est aliquantum inflata et oculi rubent ac splendent. Oris cavum ac lingua evadunt sicca et rubra. Sitis est valida, a potu calido augetur, a frigido

minuitur. Respiratio est frequentior et anxia, anima calida.

In morbi augmento accedit capitis dolor vehemens, pervigilium, in infantibus vero frequentius sopor, delirium et convulsio cum facie rubra, oculis splendentibus et palpitatione cordis. Alvus est plerumque constipata, urina parca, calida, ruberrima. Sanguis e vena missus crusta inflammatoria tectus. Haud raro in morbi fastigio salutaris oritur haemorrhagia narium et septimo ad summum nono die judicatur morbus sudore et sedimento albo vel rubente in urina.

Prognosis. Morbus in infantibus raro solitarius sed plerumque cum exanthemate acuto vel inflammatione locali occurrit. Synocha mitis non adeo periculosus est morbus. Sed gravior facile inflammationem localem sibi associat vel in typhum abit, quod innotescit si magna ingruit debilitas, urina evadat aquosa et pulsus evadat exiguus et mollis.

Causa proxima. Incitamentum validum systematis vasculosi in constitutione robusta corporis.

Causae excitantes. Refrigeratio corporis aestuantis vel refrigerati subitanea calefactio ni-

mia. Motus vehemens. Victus valde nutriens et aromaticus cum potu spirituoso. Pervigilium longum. Demum miasma variolosum, morbillosum, vel scarlatinum.

Causa disponens. Infantes et juvenes robusti ac bene nutriti, praesertim in suis morbis exanthematicis sunt synochae valde obnoxii.

Therapia. In synocha *miti* plerumque sufficit regimen frigidum, victus parcus, vegetabilis. Potus aquae frigidiusculae succo citri vel salis essentialis tartari acidulatae. Quies corporis et animi. Obscuratio cubiculi et

Mixtura antiphlogistica.

R. Aquae communis destillatae unc. iv.
Nitri depurati scrup. ij.
Cremoris tartari solub. dr. j ſs.
Syrupi rubi idaei unc. j.
S. omni bihorio detur cochlear majus.

In synocha *graviori* fiat venae sectio modica vel admoveantur temporibus hyrudines et interne detur

Potio eccoprotica.

R. Mannae electae unc. j.
Tartari solubilis dr. iij.
Aquae communis fervidae unc. iv.
S. omni bihorio detur pars tertia.

Typhus seu febris nervosa.

Febris continua a vi vitali nervorum gravius depressa.

Diagnosis Morbus lente plerumque ingruit et tria formare solet stadia

1) Stadium *invasionis*. Morbus incipit cum insigni lassitudine, eaque jam in exordio morbi conspicua. Calor pauxillum superat naturalem. Pulsus est mollis, parum frequens. Infantes jacent stupidi et torpidi ac si dormirent et excitati ac interogati respondent se bene valere.

2) Stadium *progressionis*. Torpor augetur adeo ut difficulter e stupore excitentur. Et excitati vix sui sunt conscii ac vultu torvo et voce lalante non intelligibili ad omnia inepte respondent. Manus et lingua tremunt et obliviscuntur hanc ex ore porectam iterum retrahere. Alvus est constipata, urina retinetur vel subin involuntarie profluit.

3) Stadium *putridum*. Pulsus evadit perpetuo debilior et celerior, calor vero major et mordax. Lingua, gingivae ac labia obducuntur crusta atrofusca. Nares fuligine atro videntur infarctae. Tota corporis superficies, praesertim anima spargunt

proprium foetorem putridum. In cute apparent petechiae ac vibices, in oris cavo aphthae putridae. Demum nascuntur sudores profusi, haemorrhagiae, diarrhoea colliquativa, meteorismus abdominis et mors. Loca cutis decubitu vel vesicatoris rubentia gangraenescunt.

Prognosis. Morbus periculosissimus, in tertio stadio contagiosus ac plerumque lethalis est, si typhus adest gravior.

Causa proxima. Asthenia gravior systematis nervosi

Causae excitantes. Victus nimis parcus. Aer frigido-humidus vel corruptus aut paludosus. Animi affectus deprimens. Frequens purgatio vel haemorrhagia. Demum miasma variolosum, morbillosum scarlatinum et typhosum.

Therapia. In morbi exordio, si typhus a contagio typhoso ortus detur emeticum, si vero morbus jam suum augmentum est nactus illico remedia incitantia volatilia sunt exhibenda, nempe vinum, camphora, castoreum, moschus, naphtha vitrioli, alcali valatile et imprimis opium.

Febris saburralis.

Febris ab ingestione quantitate vel qualitate noxiorum.

Diagnosis. Febris cum anorexia, sapore amaro lingua muco sordido obducta, ructu nidoroso, animae foetore, sensatione oppessiva et inflatione ventriculi, quandoque totius abdominis, nausea, vomitu, diarrhoea. At cum omnia haec symptoma etiam in typho gastrico absque saburra adsint, hinc primaria notitia saburrae ex examine prius ingestorum noxiorum peti debet. Quandoque saburra sine febre adest.

Prognosis. Morbus facile sanatur, si a sola quantitate nimia ciborum sanorum ortus est. Quandoque vero ex hac causa fuit nata apoplexia gastrica.

Causa proxima. Si affectio gastrica adeo valida ut totius corporis organismum in consensum trahat.

Causae excitantes. Nimia ingurgitatio ciborum etiamsi salubrium. Esus piscium vel ovorum aut ostrearum jam putrescentium, vel animalium certis morbis mortuorum, aut certorum fungorum.

Therapia. Si saburra *sursum* turget, detur emeticum, si vero *deorsum*, quod torminibus indicatur, exhibeatur purgans.

Solutio emetica.

℞. Tartari emetici gr. j.
Aquae destillatae unc. iij.
Mellis puri unc. ſs.
S. infanti nondum annuo dentur omni hora duo cochlearia parva, donec aliquot vomitus sequantur.

Syrupus purgans.

℞. Tinct. rhei aquosae unc. j.
Syrup cichor cum rheo unc. ſs.
S. Omni hora dentur cochlearia duo parva.

Evacuatis primis viis dentur stomachica, cortex vero peruvianus, quamdiu digestio ventriculi adhuc labefactata manet, nihil prodest.

Febris verminosa.

Febris a vermibus intestinalibus excitata.

Diagnosis. Diu praecedunt symptomata verminosa, pruritus narium, pupilla dilatata, vehemens capitis dolor, lingua, urina, alvus et vomitus pituitosus, symtomata convulsiva, excretio vermium. Demum ingruit febris, quae manifestas format remissiones, imo quandoque intermissiones et vermibus copiosius excretis febris cessat

Prognosis. In omnibus fere febribus excernunt infantes, at sine emolumento aliquot vermes, sed talis febris non est veminosa, cum a vermibus solis non excitetur. Febris hydrocephalica ob similia quaedam symptomata, ut capitis dolorem, pruritum narium et pupillam dilatatam, cum febre verminosa saepe confunditur.

Febris hydrocephalica subito incipit, verminosa lente ac praegressis symptomatibus verminosis. Hydrocephalica est morbus continuus, verminosa vero remittens, subin plane exponens. In hydrocephalica est lingua pura et sicca. In verminosa valde pituitosa.

In hydrocephalica adest prolapsus palpebrae superioris et depressio bulborum oculi. In verminosa utrumque deest.

Verminosa non adeo frequenter ac cito est lethalis, quam hydrocephalica.

Causa proxima. Saburra pituitosa verminosa intestinorum.

Causae excitantes. Febris verminosa quandoque est epidemica. De reliquis vero causis vide helminthiasim.

Therapia. Potus sit aqua acidula selterana vel aqua hepatica. Enema detur ex lacte et sulphure. Interne vero

Electuarium anthelminticum.

R. Pulv. seminum Santonici dr. iij.
— radicis Jallapae dr. j.
Liq. anodyn m. H. dr. j.
Aquae cinnamomi.
Syrupi aceti q. s. ut fiat.
electuarium molle
S. infanti quatuor annorum omni bihorio detur cochlear parvum.

Febris intermittens.

Febris periodice cum perfecta apyrexia rediens.

Diagnosis. Paroxysmus ut in adultis esse solet *quotidianus*, si quotide, *tertianus*, si omni altero die ingruit et *quartanus*, si duo dies intercalares observantur. Febris quotidiana plerumque tempore matutino, tertiana circa meridiem et quartana circa vesperas ingruit. Quilibet paroxysmus tria format stadia. Incipit cum frigore ac horripillatione, continuat cum calore sicco et desinit cum sudore ac urina lateritia.

Prognosis. Morbus in infantibus rarior et omni plerumque periculo carens rite tractatus. Tertiana facillime, quotidiana difficilius et quartana difficillime curatur. Febris quotidiana plerumque post 14 pa-

roxysmum, tertiana post 7 vel 9 et quartana post 14 saepe desinit. Sed tertiana post 7 et quotidiana ac quartana haud raro post 14 dies redire solet. Febres atypicae facilius quam typicae, vernales facilius quam autumnales curantur. Febres vero intermittentes chronicae facile in icterum, hydropem aut placentas febriles viscerum abunit.

Causa proxima paroxysmi adhucdum penitus ignota.

Causæ excitantes. Constitutio epidemica aeris, aer paludosus, frigus humidum, animi affectus deprimentes, sanguinis vel alius humoris evacuatio magna.

Complicata denique febris intermittens esse potest cum cruditate primarum viarum, vermibus, induratione viscerum vel suppuratione eorundam. Tertiana vernalis in infantibus robustis ac bene nutritis subin charactere inflammatorio est complicata.

Therapia. In *paroxysmo* febris intermittentis vulgaris detur infusum chamomillae cum aliquot guttis liquoris anodyni mineralis et in stadio frigoris calidius in stadio autem caloris frigidius tegatur in lecto.

Tempore *apyrexiae* etiam primum jam post paroxysmum detur cortex peruvianus, qui

haud solum ad febris cessationem usque, sed etiam ad reciduam impediendam adhuc per 14 dies continuari debet.

R. Corticis peruviani selecti unc. ſs.
Syrupi ejusdem unc. j.
S. omni bihorio detur cochlear parvum.

Si infans adhuc lactescit nutrix omni bihorio drachmam mediam cortis assumat.

Si infans nullo modo ad corticem sumendum persuaderi potest, detur omni trihorio enema ex decocto saturato corticis et aliquot guttis laudani liquidi. Potest etiam cataplasma e pulvere corticis et vino factum abdomini imponi. Si vero febris intemittens est cum saburra gastrica complicata, cortex peruvianus nullatenus fertur, nisi haec prius emetico vel purgante eliminetur.

Erysipelas neonatorum.

Inflammatio superficialis in quadam parte infantum neonatorum.

Diagnosis. Primis jam post partum diebus et plerumque post febrem macula erumpit rubra, quae sensim format tumorem superficialem, coloris rosei vel subflavi,

pressione evanescentis, dolore mordaci stipatum, qui circa diem 12 cum epidermidis desquamatione desinit. Quandoque ex una parte in alium et sic per totius corporis superficiem circumvagatur. Imo haud raro ad partes internas migrat cum vitae periculo. Morbus mitior incipit in digitis, manubus, pedibus vel super articulatione. Gravior vero nascitur primum in facie vel collo aut thorace, inguinibus et scroto vel circa umbilicum

Prognosis. Morbus externas duntaxat partes afficiens periculosus non est, si vero ad cerebrum vel pulmones aut ventriculum migrat, infantem apoplexia, pneumonia, vomitu enormi necat. In scroto saepe in gangraenam, in extremitatibus in abscessum salutarem abit.

Causa proxima. Inflammatio superficialis in cute.

Causa excitans esse videtur constitutio epidemica, uno anno enim frequentius quam altero morbus occurrit. Praesertim in sordidis nosocomiis infantum. Sed morbus non censetur contagiosus et rarissime est congenitus.

Causa disponens. A die prima post partum ad sex usque hebdomades infantes subin etiam sanissimi huic morbo sunt obnoxii.

Therapia. Partes externae affectae laventur quotidie spiritu vini camphorato et interne exhibeatur camphora, decoctum saturatum corticis peruviani, quod magna copia ori et ano est ingerendum *). Si erysipelas interna petit, synapismus vel vesicatorium applicetur.

Encephalitis.

Inflammatio cerebri et menyngum.

Diagnosis. Morbus plerumque incipit cum vehementi horripilatione, quam aestus sequitur cum ingenti capitis dolore ac pulsu celerrimo et irregulari. Facies valde rubet et inflata est. Arteriae carotides in collo valide pulsant, oculi rubent ac lucem non ferunt flammasque saepe vident. Pupilla subin dilatata, subin valde contracta est. Aures susurrant et strepitum minimum non ferunt. Demum ingruit vertigo, quam brevi sequitur delirium. Deglutitio imprimis liquidorum et respiratio est difficilis, haud raro singultus,

---

*) Neddelien Samml. kleiner Abhandlungen über die Rose der neugebornen Kinder und die Verhärtung des Zellgewebes.

vomitus aeruginosus vox rauca et convulsiones quorundam musculorum superveniunt.

Prognosis. Morbus est periculosissimus, raro ultra septem durat dies, subin jam quinto moriuntur infantes apoplectici. Subin vero morbus abit in suppurationem vel hydropem acutum cerebri. Qui evadunt, plerumque manent fatui.

Causa proxima. Sanguinis congestio et exalta actio vasorum rubrorum in encephalo.

Causae excitantes. Capitis compressio sub partu, lapsus infantis in caput. Abusus opii vel spirituosorum. Capitis fortis refrigeratio vel insolatio vel calefactio in cunis ad fornacem locatis. Subin symptoma est in typho et exanthematibus acutis.

Therapia. Applicentur hyrudines ad tempora et collum. Capiti imponatur fomentatio ex aqua frigida, in qua sal ammoniacus et nitrum solutum. Crura imponantur pediluvio tepido et ano injiciantur enemata antiphlogistico-eccoprotica. Surris et brachiis imponantur synapismi vel vesicatoria. Cubiculum obscuretur et infans saepius extra lectum in situ erecto sedeat. Interne exhibeatur potio mannata cum nitro.

Apostema cerebri.

Materiae puriformis effusio in superficiem encephali.

Diagnosis. Delirium acutum in encephalitide transit in chronicum. Pressionis et gravitatis sensatio in quodam capitis loco et huc inde partium quarundam paralysis oritur. Visus et auditus minuantur vel plane abolentur, aut deplopia vel strabismus adsunt. Saepe oriuntur horripilationes, quae in certo capitis loco incipiunt et inde se ulterius propagant *).

Prognosis. Morbus fere semper lethalis.

Causa proxima. An inflammationis transitus in suppurationem? vel crustae inflammatoriae transudatio in superficiem encephali?

Causae excitantes. Praegressa encephalitis, aut metastasis materiae purulentae ad encephalum.

Therapia. Tractetur morbus ut hydrops cerebri.

Cynanche faucium.

Inflammatio faucium vel tonsillarum.

---

*) Haec morbi obscuri signa adduit cel. van Hoven Handbuch 1. B. p. 187.

Diagnosis. Depressa lingua rubor apparet in fancibus et in una vel utraque tonsilla. Respiratio parum vel nullatenus est laesa, sed diglutitio praesertim liquidorum est valde difficilis, adeo ut haec facile per nares redeant. Vox est nasalis, et infans perpetuo exspuere cogitur. Facies rubet et tumidula est, febris indolis inflammatoriae.

Prognosis. Haec inflammatio subin ultro 14 durat dies. Sed plerumque morbus est benignus et resolubilis. Tonsillae haud raro circa 4 vel 5 diem cum horripillatione in abscessum abeunt. Morbus vero periculosus evadit si abscessus nimium grandescit et infantem suffocat.

Causa proxima. Irritamentum in faucibus haerens.

Causae excitantes. Frequentissima est refrigeratio corporis aestuantis. Cibus vel potus ingestus nimis calidus. Ossiculum vel acicula deglutita in faucibus haerens. Constitutio epidemica atmosphaerae. Frequens denique symptoma est variolarum, morbillorum ac praesertim scarlatinae.

Therapia. Si imflammatio et febris est mitis, sufficit mixtura eccoprotica vel diaphore-

tica, et externe linimentum volatile camphoratum, collo appliandum atque

Gargarisma antiphlogisticum.

R. Decocti hordei unc. vj.
Oxymellis simplicis unc. j.
Aceti lithargyrii gt. vj.
M. S. Pro injectione in fauces vel gargarisatione, si infans jam adultior.

Si inflammatio vero *validior* fiat simul venae sectio in brachio vel applicentur hyrudines ad collum. Dein collo affigatur vesicatorium forma longae striae.

Si tonsilla nimium intumescens suffocationem minetur, fiat punctura in eam ope pharyngotomi.

Si vero cynanche in typho exanthematico occurrat, collo infricetur camphora vel balsamus peruvianus in naphtha vitrioli solutus, et gargarisma fiat ex infuso salviae cum vino et melle mixto.

Cynanche gangraenosa.

Inflammatio faucium maculis gangraenescentibus obessarum.

Diagnosis. Morbi decursus tria formare solet stadia.

1) Stadium *prodromi.* Oritur febris mitis sed summa cum lassitudine ac siti.

2) Stadium *eruptionis.* Jam nascitur inflammatio mediocris, profunde rubra in tonsillis, uvula, faucibus et haud raro in buccis. Hae partes brevi obsidentur maculis albis vel cinereis, halone profunde rubro circumdatis, quae confluentes cito in escheras crassas abeunt, sub quibus deciduis ulcera apparent coloris plumbei, sensim nigricantis. Anima infantis valde foetet et e naribus profluit humor valde acris ac putridus. Virium prostratio augetur, pulsus evadit debilior, accedit delirium vel sopor. A deglutita saliva acri nascitur diarrhoea torminosa et ardens vel in laryngem descendens tussis fere convulsiva.

3) Stadium *exanthematicum.* Subin jam primis diebus, subin tardius apparent in cute puncta elevata, petechiae, vel maculae coloris scarlatini, quae confluentes totum cooperiunt corpus. Imprimis apices digitorum inveniuntur tumidi ac rigidi. Haut raro quoque simul glandulae colli insigniter intumescunt.

Prognosis. Morbus periculosissimus, saepe jam quarto, rarius septimo die lethalis.

Causa proxima. Contagium sui generis; morbus enim est epidemicus et anima infantis foetida sanos inficit infantes.

Therapia. Praemissa ipecacuanha, si sordes turgent, interne mixtura muriatica et mercurius dulcis ad ptyalismum usque adhibitus profuit.

R. Corticis peruviani unc. j.
Coquatur in aquae libr. j. ad colaturam unc. viij. adde
Spiritus salis dulcis dr. j.
Liquoris andyn. m. dr. fs.
Syrupi cort. aurant. unc. j.
M. S. omni hora detur cochlear majus.

Pulvis mercurialis.

R. Mercurii dulcis gr. vj.
Opii puri gr. j.
Sacchari albi scr. j.
Dividatur in tres doses aequales, et S. ter de die unus exhibeatur pulvis.

Externe ad fauces applicetur *solutio sacchari saturni.*

R. Sacchari saturni scr. ij.
Aquae destillatae unc. ij.
S. ope penicilli illiniantur ulcera gangraeoosa faucium *).

*) Samml. für p. Aerzte 20 B. 3 und 4 St. p. 49.

Tumores glandulosi in collo non emollientibus sed vesicatoriis cedunt.

Cynanche membranacea seu polyposa.

Respirandi difficultas a pseudomembrana in cavo tracheae nata.

Diagnosis. Morbi decursus tria formare solet stadia.

1) Stadium *catarrhosum.* Febris oritur catarrhalis cum pulsu duro, narium stillicidio, tussicula sicca et raucedinie.

2) Stadium *confirmatum.* Mox accedit obtusus, raro pungens tracheae dolor, qui a pressione externa loci augetur. Respiratio evadit difficilis et profunda, tarda, rarius celer, quam sonus peculiaris, gallinarum juniorum similis in omni respiratione vel duntaxat sub clamore ac tussi comitatur. Sed deglutitio plerumque sub totius morbi decursu manet illaesa. Interdum vomitu vel tusse ejicitur materia caseosa, filamentosa vel membranacea tubulosa aut polyposa.

3) Stadium *suffocativum.* Demum anxietas et respirationis difficultas adeo angentur, ut quovis momento suffocatio immineat.

Prognosis. Morbus est periculosissimus subi-

jam intra biduum lethalis. Post horas 36 plerumque incurabilis. Saepe in diagnosi confunditur cum asthmate Millari. Hoc autem est morbus periodicus et non febrilis non edit sonum gallinaceum, nec tusse ejiciuntur concrementa fibrosa.

Causa proxima. Inflammatio tracheae cum transudatione lymphae fibrosae, in cavo tracheae concrescentis.

Causae excitantes. Censetur contagium sui generis esse. Morbus enim est contagiosus et plerumque epidemicus.

Causa disponens. Infestat infantes a tertio ad octavum annum, raro adultos.

Therapia. Externe laryngi bis vel ter de die unquentum mercuriale infricetur et ori indatur mercurius saccharatus lente deglutiendus. Saepius admoveatur naphtha aceti inspirenda. Alii omni bi vel trihorio granum medium aquilae albae cum felice successu exhibuerunt. Tempore intermedio dari potest

Mixtura pectoralis.

R. Rad. Senegae unc. ſs.
Aquae communis unc. viij.
Coquatur ad medietatem. Colaturae adde

Tincturae pectoralis gt. 30
Syrupi diacodii unc. j.
S. omni hora detur cochlear parvum.

Angina parotidea seu externa.

Subitanea intumescentia glandularum parotidum et submaxillarium.

Diagnosis. Intumescentia mox frigida et oedematosa, mox calida, tensa et dolorosa est, quae oris aperturam et deglutitionem plus, minus impedit. Plerumque febris abest vel mitis est. Saepius vero tumor a glandulis ad testes, mammas, nymphas imo cerebrum aut pulmones migrat.

Prognosis. Morbus plerumque mitis est, febris die quinto cum largo sudore evanescit, tumor vero intra octiduum. Vix unquam suppuratio parotidis observatur. Subin vero epidemia observantur sat gravibus commitata symptomatibus. Quando materia morbi a testiculis ad cerebrum migrat novam febrem, delirium, convulsiones et mortem subin producit. Subin vero morbus bono omine e cerebro iterum in testiculum redit.

Causa proxima. Contagium sui generis. Morbus enim plerumque epidemicus vere vel hyeme humida observatur.

Causa disponens. Aetas infantilis et juvenilis, rarissime adulta huic morbo est obnoxia.

Therapia. Externe tumores tegantur fomento sicco. Interne exhibeatur

Mixtura diaphoretica.

R. Aquae flor. sambuci, unc. iv.
Spiritus Mindereri unc. j.
Syrupi rubi idaei unc. j.
D. S. omni bihorio detur cochlear majus.

Si tumor cerebrum afficere incipit, ponatur vesicatorium ad parotides.

Pneumonia.

Inflammatio pulmonum vel pleurae.

Diagnosis. Oritur horripillatio subin sat longa, quam sequitur vehemens aestus totius corporis cum pulsu frequenti et duro, subinde vero molli et undoso ac dolore obtuso, pressorio vel pungente in thorace. Respiratio est laboriosa, celer et brevis. Profunda inspiratio est dolorosa. Tussis in morbi exordio est sicca, in morbi progressu pituitosa et striis sanguiueis mixta. Respiratio evadit sibilans, et stertens ac adeo difficilis, ut non nisi in situ erecto peragi possit. Ingruit delirium, sum-

ma debilitas, impotentia loquendi, extremitates frigent, collum et pectus sudant et sputorum suppressio ac cessatio doloris in thorace mortem instare docet.

Prognosis. Morbus est periculosissimus nec rarus in infantibus at propter difficilem diagnosim in illis saepe praetervisus. Subin vero quinto vel septimo die sputa apparent puriformia cum omnium symptomatum remissione.

Causa proxima. Irritamentum vasa pulmonum incitans.

Causae excitantes. Refrigeratio vel nimia calefactio infantis ad fornacem. Subin constitutio epidemica aeris adest. Demum haud raro est sequella variolarum et febris scarlatinae, sed frequentissima morbillorum.

Therapia. Illico fiat venae sectio in brachio, in infantibus vero junioribus applicentur hyrudines ad locum dolentem thoracis vel imponatur huic ventosa ac dein vesicatorium.

Interne detur potio mannata vel tamarindinata cum cremore tartari et simul detur

Mixtura Senegae.

R. Radicis Senegae dr. ij.
Coquantur cum aquae commun. unc. x. ad colaturam unc. vj. Dein adde

Extracti liquiritiae dr. j ß.
S. omni hora detur cochlear majus.

Si stertor et suffocatio imminet, detur

Linctus expectorans.

℞. Sulphuris aurati antimonii gr. iij.
Camphorae gr. vj.
Syrupi de althaea
Oxymelis scillitici aa unc. j.
Tincturae thebaicae gt. x.
S. omni hora exhibeatur cochlear parvum.

Externe vesicatorium thoraci applicandum et pediluvium convenit. Emitici usus remedium est anceps.

Variolae.

Pustulae a miasmate varioloso natae.

Diagnosis. Decursus morbi *benigni* seu inflammatorii sex format stadia.

1) Stadium *infectionis.* A momento, quo miasma se corpori insinuavit ad symptomata invasionis usque durat. Hoc nullis se prodit signis, et in variolis inoculatis ad 7 vel 9 dies saepe durat. In naturali infectione ad 10 vel 14. Reliqua stadia plerumque triduo durant.

2) Stadium *invasionis.* A primorum sympto-

matum apparitione ad eruptionem exanthematis usque durat. Infantes evadunt pigri et somnolenti, oculi pruriunt, in somno saepius cum pavore exclamant. Facies rubet et inflatur, subin iterum pallet. Demum ingruit horripillatio, quam circa vesperas sequitur aestus cum pulsu celeri et duro ac capitis dolore. Quidam conquaeruntur de torminibus, de dorsi et nuchae tensione, imprimis sub axillis. Alii vomunt et alii convelluntur. Certissimum vero signum morbi instantis est odor specificus animae, perspirationis et urinae.

3) Stadium *eruptionis*. Plerumque noctu inter tertium et quartum diem erumpunt cum sudore maculae rubrae, quae elapsas post aliquot horas in suo medio tuberculum exiguum concipiunt et elevantur. Eruptio fit primum in facie, dein in thorace, dein in brachiis et abdomine ac ultimo in pedibus. Hic eruptionis vero ordo est incertus. Durante eruptione multi infantes faucium et oculorum dolore vexantur, in aliquibus alvus et urina retinetur. Cum integra variolarum eruptione febris et reliqua symptomata cessant. Su-

bin vero febris circa vesperas bis vel ter exacerbatur cum nova variolarum eruptione.

4) Stadium *suppurationis.* Inter septimum et octavum morbi diem tubercula variolarum incipiunt inflammari, elevari, in suppurationem abire, pisi magnitudinem in facie primum obtinere, tardius in partibus in quibus tardius erupuerunt. Quamlibet novam variolarum suppurationem comitatur nova febris suppuratoria, quae *secundaria variolarum* vocatur. Simul facies praesertim in variolis confluentibus, adeo quandoque intumescit, ut oculi et nares occludantur et meram crustam albam referant. Febris quandoque est valida, oritur stridor dentium, delirium, convulsio vel diarrhoea aut salivatio.

5) Stadium *exarescentiae.* Circa diem undecimum variolae primum in facie incipiunt siccari. Tardius in reliquis locis. Tumor faciei minuitur, ac primum in manus dein in pedes descendit. Variolae crepant, pus spissum, flavoviridescens eructant, ac in crustas duras, brunas, in facie turpissimas abeunt.

6) Stadium *desquamationis.* Crustae variolosae sensim a cute decidunt, ac maculas

rubras, in frigore fere coerulescentes diu adhuc relinqunt, quae sensim in facie et locis aeri expositis in cicatrices plus minus profundas abeunt.

Decursus morbi *maligni* seu typhoidei sic sua stadia absolvit.

1) Stadium *invasionis.* Cum febris ingressu jam ingens adest debilitas, vertigo, anxietas, ingens capitis et lumborum dolor, animi deliquia, diarrhoea et convulsiones oriuntur.

2) Stadium *eruptionis.* Jam secunda vel tertia morbi die exanthema erumpit. Rarius eruptio plures per dies retardatur. Febris post hanc ut in variolis benignis non cessat, sed pejor continuat. Pustulae non se elevant et pure replent, sed nascuntur

Variolae *lymphaticae*, quae lympham turbidam aut crystallinam continent.

Variolae *siliquosae*, quae siliquas vacuas pisorum referunt.

Variolae *verrucosae*, quae verrucis acuminatis vel umbilicatis sunt similes.

Variolae *sanguineae*, seu sanguine repletae inter quas haud raro petechiae conspiciuntur.

Variolae *confluentes*, quae vesicam albo viridescentem, pergameam, ichore repletam formant.

3) Stadium *suppurationis*. Plerumque ad diem undecimum pustulae crepant, at loco puris ichorem tenuem, acrem, foetidissimam effundunt. Symptomata typhi ingruunt augenturque. Respiratio evadit laboriosa, ptyalismus minuitur, tumor faciei collabitur, oritur sopor vel delirium et convulsio. Colliquativae nascuntur haemorrhagiae ex naribus, renibus, ano vel utero. Excrementa abeunt inscie, extremitates frigent, pustulae gangraenescunt, et raro decimum quartum diem supervivunt infantes.

4) Stadium *exsiccationis*. Pauci hoc attingunt, in his crustae instar larvae decidunt et omnia typhi symptomata plerumque circa diem vigesimum remittunt. At haud raro pessimi morbi secundarii remanent vel sequuntur. Abscessus, ulcera cutis, caries, spina ventosa, exostoses, ophthalmiae, maculae corneae, bulbi destructiones per hypopium, catharracta, amaurosis, paralyses, contracturae musculorum, asthma, tussis convulsiva, haemopthisis et phthisis.

Prognosis. Paucissimi mortalium variolas effugiunt. An detur febris variolosa sine variolis adhuc sub judice lis est. Rarissime

homo bis in sua vita variolis laborat. Infantes quo sunt juniores eo facilius variolas ferunt. Variolae epidemicae sunt plerumque sporadicis pejores. Magna variolarum copia semper vitae periculo stipantur. Variolae benignae ac discretae plerumque periculo carent. Confluentes sunt periculosae, at malignae saepissime lethales, ob typhum comitem. Qui moriuntur in stadio suppurationis pereunt. Infantes sanissimi in certis epidemiis se pejus habent, cum scrophulosi et rachitici morbum facile ferant.

Causa proxima est miasma sui generis corpori communicatum, quod ex Arabia per Saracenos in Galliam, Hispaniam et inde in reliquas orbis regiones fuit translatum. In Cajenna et paucis aliis locis variolae nondum innotescunt. Novissima est opinio miasma variolosum in Arabia ex frequenti morbo equorum Grease dicto fuisse genitum.

Causae excitantes. Infectio fieri potest

1) Per *contactum* aegroti variolosi vel ejus lecti, vestimenti aliusve rei, quam variolosus manubus tractavit ut monetam vel literam scriptam et transmissam. Etiam atmosphaera vicina aegroti est contagio-

sa et deglutitio crustarum variolosarum. Manet autem contagium adhuc per annum activum, si res infecta aeri non exponitur.

2) Per *insitionem* miasmatis in vulnusculum cutis.

3) Per *matrem* durante graviditate variolis laborantem. Sic infans jam in utero variolas patitur.

Causa disponens. Miasma nulli parcet aetati, facillime vero afficit infantes. At non semper in his dispositio adest, ut inoculatio docet. Variolae plerumque epidemice grassantur. Epidemica haec aeris constitutio in quibusdam locis omni quarto, quinto vel sexto anno redire solet.

Prophyllaxis. Certa non datur, nisi inoculatio variolarum. Ex variolis naturalibus duodecimus, ex inoculatis centessimus moriebatur. Cum vero per inoculationem miasma variolosum magis in infantes sanos propagetur, hinc etiam haec prohibenda et ejus loco vaccinatio introducenda. Haec enim inficit neminem et servat omnes.

Therapia. In variolis *benignis*, si febris eruptionis valde *mitis*, medicamine vix opus est. Sufficit victus mere vegetabilis, praesertim fructus horaei recentes, potus re-

frigerans cum sale essentiali tartari vel succo citri, aer cubiculi sit valde temperatus, lecti tegumenta tenuia et de die multa conversatio in aere libero.

Si vero febris eruptionis *gravior* est, hyrudines applicentur circa tempora et retro aures. Detur mite emeticum et potio mannata vel tamarindinata. Aegrotus multum extra lectum erectus sedeat et facies saepius cum aqua frigida lavetur. In stadio suppurationis pustulae aperiantur maturae. In stadio autem exsiccationis, si a morbo praegresso debilitas animadvertitur, convenit victus magis nutriens cum vino bono. Lotio corporis cum vino et aqua, balneum tepidum ex aqua et lacte. Decoctum corticis peruviani cum aqua cinnamomi et liquore anodyno minerali.

Variolae *malignae* tractentur ut typhus. Victus constet ex jure animali valde nutriente, vino et infuso theato cum cinnamomo. Denique in utraque variolarum varietate mane ac vespere detur granum semis aquilae albae. Diarrhoea ingruens sistatur cum cinnamomo in lacte infusa. In primis duobus stadiis detur vinum, camphora, nec non opium, moschus, valeriana, serpentaria. In tertio et quarto morbi stadio,

ubi typhus incipit putridus fieri, his medicamentis addantur spiritus vitrioli, infusum florum arnicae, elixir acidum Halleri, alumen et cortex peruvianus.

Externe imprimis variolis subsidentibus applicetur vesicatorium vel sinapismus, balneum tepidum, diligens lotio corporis cum vino calido. Frictio thoracis, epigastrii et spinae dorsi cum camphora in naphtha vitrioli soluta. Involutio corporis cum linteamine vapore camphorae inbuto. Conspersio lecti cum camphora. Enemata ex asa foetida et camphora vitello ovi solutis *).

Therapia symptomatum maxime urgentium et morborum secundariorum suis sub titulis traditur. In his imprimis mercurius comendatur.

Varicella seu variolae spuriae.

Pustulae variolis veris fere similes, sed brevioris decursus et a variolis veris non tuentes.

Diagnosis. Vulgatissima varicellarum species sunt vesiculae, albae, humore aquoso

*) Von Hoven l. c. 1. B. p. 405.

pellucido vel turbido et puriformi repletae, halone rubro et lato circumdatae, semper discretae, pisi magnitudinem saepe obtinentes. Rarissime in facie, sed fere semper in dorso et extremitatibus erumpunt. Tertio vel quarto die jam crepant, exiguas formant crustas, quae brevi evanescunt ac rarissime cicatrices relinquunt. Subin totius morbi decursus intra 7 vel 8 dies finitur, si non novae erumpunt pustulae, quae morbum prolongant.

Febris, quae varicellas comitatur, plerumque mitissima, subin vix perceptibilis est. Sed quandoque gravior et cum capitis dolore, vomitu, siti imo delirio occurrit. Odor variolosus specificus in varicellis non percipitur. Sed praeter varicellas aquosas etiam quandoque siliquosae, ovales, verrucosae ac spongiosae occurrunt.

Prognosis. Varicellae vix unquam periculosae sunt, contagiosae tamen et epidemicae. Nullatenus vero a variolis veris tuentur. Inde tot historiae variolarum verarum saepius redeuntium.

Causa proxima. Varicellae aquosae a contagio sui generis oriri videntur nam semel duntaxat hominem inficiunt et etiam tales,

qui variolas veras jam sunt passi. In epidemia tali non nisi varicellae aquosae observantur. An reliquae varicellarum species a miasmiate varioloso vero sed corrupto nascantur non certo liquet. Plerumque regnant ante, in vel post epidemiam variolosam.

Causae excitantes. Constitutio epidemica. Regimen nimis frigidum variolarum verarum. Innoculatio illarum cum pure immaturo aut corrupto.

Therapia. Detur mixtura diaphoretica et morbo finito medicamen eccoproticum.

Vaccinae seu variolae tutoriae.

Pustulae ab insitione miasmatis vaccini productae et a variolis veris tuentes.

Diagnosis. Morbi decursus tria format stadia.

1) Stadium *contagionis*. Facta insitione

Die *secundo* et *tertio* in loco insitionis mutatio nulla vel exigna macula percipitur rubra.

Die *quarto* macula est major morsui exiguo pullicis similis. Haud raro jam apparent vesiculae, magnitudinem aciculae gerentes in loco insitionis qui etiam prurit.

Die *quinto* macula major et rubicundior evadit.

Mitissima oritur febricula. Infantes frigent, horripilantur, calore volatico et faciei colore mutato tentantur.

Die *sexto* in macula apparet vesicula exigua instar perlae, aqua pellucida repleta et in medio aliquantum impressa. Febricula est manifestior, pruritus in loco insitionis major. Quibusdam regio subaxillaris ingrate tenditur.

Die *septimo* et *octavo* pustulae magnitudo increscit. Die *nono* area lineam circiter lata pustulam ambit et adhuc est major. Die *decimo* area et pustula grandescit.

2) Stadium *snppurationis*.

Die *undecimo*, qui pessimus est in toto morbo, locus insitionis intumescit, rubet cum splendore et pustula in medio impressa, quod signum vaccinae verae est, humore pellucido valde turget. Area pustulam ambiens evadit pollicem lata, in medio ruberrima. Subin tumor brachii ad axillam imo ad cubitum usque se extendit, et febris est fortior. Quandoque pustulae minores erumpunt circa locum insitionis, quae intra triduum sponte iterum evanescunt.

Die *duodecimo* omnia symptomata remittunt.

Pustula fit turbida et lutea, sensim quasi carnea. Area pallescit.

Die *decimo tertio* pustula evadit bruno-rubra, ut lignum Mahagon, dura et cornea. Area et febris absunt. Haud raro hoc die vel sequentibus erumpunt pustulae in toto corpore, quae sunt exiguae ac sine suppuratione iterum exsiccantur ac brevi evanescunt.

3) Stadium *exsiccationis.*

Die *decimo quarto* et sequentibus pustula evadit magis nigra et cornea ac sensim dissilit a cute, in qua foveolam relinquit.

Prognosis. Morbus omni carens periculo, nemini adhuc ex tot milibus fuit lethalis. Vaccina vera hominem totam per vitam certo tuetur a variolis humanis veris sed non a spuriis. Sola vaccinatione ubique introducta variolae verae naturales penitus exstirpari possunt. Neminem per contactum inficit, nec insitione illos, qui variolas veras aut vaccinas veras jam sunt passi. Nec foedas relinquit cicatrices infacie aut oculorum vitia, aliosve tristes morbos secundarios ut variolae. Quolibet anni tempore, qualibet aetate et constitutione corporis institui potest.

Causa proxima est miasma sui generis, quod

in pustulis vaccarum lactantium et in mauca equorum nasci videtur.

Causae excitantes in hominibus est sola insitio miasmatis in vulnusculum. Unde vero morbus in vaccis et equis generetur, nondum liquet.

Causa disponens. Omnes fere homines, qui variolas veras vel vaccinas veras nondum habuerunt, ad morbum sunt dispositi. Hi enim ab insitione non inficiuntur, vel ulcere duntaxat locali aut vaccina spuria laborant. Sed tempus dispositionis est in diversis infantibus varium, in aliis citius in aliis tardius ingruit.

Therapia. Morbus medicamento non indiget. Victus maneat consuetus, sereno tempore infans libero fruatur aere.

Si brachii inflammatio ingruit magna applicetur aqua vegeto-mineralis. Si ulcus sordidum in loco insitionis remanet, adhibeatur unguentum mercuriale. Si pustulatio in toto corpore fieret chronica detur mercurius dulcis cum sulphure aurato antimonii.

Methodus vaccinandi.

Indicatur operatio in omni infante, qui variolas veras nondum est passus.

Contraindicatur, si infans variolas veras vel vaccinas veras jam habuit. Variolae vero spuriae, dentitio, scrophulae, rhachitis, exanthema chronicum cutis vaccinationem non prohibent.

Aetas infantis. A primo vitae mense ad senium decrepitum usque fieri potest.

Anni tempus. Intensissimo frigore, ac ardentissimo Sirio feliciter instituebatur, at eligatur temperatura moderata, ut infans aere libro frui possit. Si vero epidemia variolosa jam in vicinia est, vaccinatio illico instituatur, si infans nondum variolis naturalibus infectus.

Instrumenta et requisita. Acus inoculatoria seu cum apice latiori et lympha e vaccina vera vaccae vel infantis hausta. Haec adhuc aquae instar pellucida, nondum puriformis seu turbida esse debet. Hinc inter diem septimum et decimum hauriatur.

Locus insitionis. In brachio ad insertionem musculi deltoidis. Sufficit si operatio in uno duntaxat fiat brachio. In infantibus, qui bra-

chium absolute praebere nolunt, posset operatio sub somno fieri.

Vaccinatio cum lympha liquida. Mediante apice acus inoculatoriae vel lanceolae hauriatur gutta lymphae ex pustula vaccina infantis ac miti punctura introducatur sub epidermidem infantis vaccinandi ac digito lympha vulnusculo imprimatur.

Tales puncturae fiant tres, sat distantes et triangulum in brachio formantes. Vulnuscula primo triduo sibi relinquantur, postea vero tenui spleniolo et fascia involvantur ne infans ob pruritum unquibus pustulam dilaceret.

Vaccinatio cum lympha sicca. Haec adhibetur, dum lympha recens adhiberi nequit. Optima methodus lympham siccandi et transmittendi in loca dissita est, si lympha liquida bacculis exiguis ex ebure vel osse sepiae confectis illiniatur, cito siccetur, lagenulae angustae includatur, et epistomio vitreo bene occludatur. Simul ab aere libro, intenso frigore aut calore defendatur. Sed optima lympha siccata ultra duos menses raro se servat activa.

Tempore usus lympha sicca mediante vapore aquae bullientis vel gutta aquae humectatur, excipitur apice acus inoculatoriae et

sub epidermidem introducitur. Vaccinatio cum filamentis rarissime succedit et illa cum vesicatorio nihil valet.

Vaccinellae seu vaccinae spuriae.

Pustulae ab insitione vaccinae natae at brevioris decursus et a variolis veris non tuentes.

Diagnosis. Pustula jam secundo vel tertio apparet die ac cito cum febre se replet humore turbido, at impressione in suo medio ut vaccina vera caret. Transit quidem brevi in crustam tenuem, quae crepat et in ulcus sordidum ac humidum degenerat, quae quidem siccatur, sed rubore destituitur peripherico et splendente ut in vaccina vera decimo et undecimo die apparet. Totus vaccinae spuriae decursus intra octo vel decem dies finitur.

Vaccinae *verae* in uberibus vaccarum sunt pustulae durae, rotundae, coeruleo-rubentes vel cineritiae, in medio foveam gerentes, area ruberrima circumdatae et humore tenui repletae.

Vaccinae vero spuriae albae vel luteae vel nigrae sunt

Prognosis. Morbus quidem omni caret periculo at nullatenus infantes a variolis humanis

tuetur. Hinc hoc statim est parentibus praedicendum.

Causa proxima esse videtur materia vaccina vera degenerata adeo ut vel nullas vaccinas vel spurias duntaxat producat.

Causæ excitantes. Si materia pro vaccinatione depromitur ex brachio infantum, vel uberibus vaccarum, quae vaccinis spuriis laborant Si materia aliorsum missa, nimio frigori, calori vel luci fuit exposita, aut nimis diu asservata, nam ultra duos menses etiam optima materia vaccina se non servat. Si materia aquosa et pellucida sed turbida ut post decimum diem evadit, adhibetur. Demum si vaccinatio cum filamentis aut vesicatorio peragitur, aut in infantibus, qui variolas veras jam sunt passi.

Therapia indigemus nulla, sed vaccinatio tempore alio tentari debet, si infans variolas veras nondum habuit.

Morbilli.

Febris cum eruptione macularum rubrarum et symptomatibus catharrosis.

Diagnosis. Morbi decursus quatuor format stadia. Et morbus est ut variolae benignus vel malignus.

Stadia morbi benigni et inflammatorii sunt.

1) Stadium *invasionis*. Morbus semper incipit cum gravedine vel corryza, raucedine, tussi sicca, fere perenni, sternutatione frequentiori, dolore oculorum et capitis ac pectoris ingrata tensione. Urina multa et pallida mingitur. Multis intumescunt glandulae colli. Horripilatio et calor volaticus de die fere perpetuo se excipiunt, ad vesperas vero aestus augetur et continuus magis evadit, ac omnia symptomata catarrhalia et cutis siccitas, pulssus celeritas et plenitudo ac oculorum rubor, faciei et palpebrarum intumescentia augentur. Haud raro accedunt faucium dolor, symptomata peripnevmonica, delirium vel sopor. Circa tempus matutinum plerumque sudor erumpit cum omnium symptomatum remissione. Idem contingit, si aeger vomitu, diarrhoea vel epistaxi corripitur. At sequentis diei vespera febris et omnia symptomata iterum exacerbantur. Id etiam tertio, et subin etiam quarto observatur die.

2) Stadium *eruptionis*. Ad finem tertiae rarius quartae exacerbationis cum sudore largo erumpunt stigmata rubra, pullicum morsibus similia, quae sensim lenticulares

evadunt, ac in suo medio exiguum gerunt tuberculum, e quo pilus emergit. Eruptio primum apparet in facie, sensim in thorace, dein in dorso, brachiis et cruribus, vix unquam in abdomine et parte capillata capitis. Hoc stadium plerumque in uno finitur die.

3) Stadium *florescentiae*. Facta eruptione nec symptomata catarrhalia cessant, imo tussis haud raro adhuc augetur et maculae triduo vel quatriduo adhuc permanent. Animae odor acidulus et adeo acris quandoque est, ut adstantibus sternutationem movet.

4) Stadium *desquamationis*. Septimo rarius nono morbi die maculae pallescunt ac sensim evanescunt, epidermis praesertim in facie, forma furfurum vel minimarum squamarum secedit cum ingenti pruritu. Febris et omnia symptomata catarrhalia penitus cessant, sola tussis adhuc saepe diu remanet.

Decursus morbillorum *malignorum* sequenti modo sua stadia absolvit.

1) Stadium *invasionis*. Incipit morbus summa cum debilitate et symptomatibus mitioris vel gravioris typhi, symp-

tomata catarrhalia thoracis sunt suffocativa.

2) Stadium *eruptionis*. Subin sed rarius jam primis 24 horis morbilli erumpunt, plerumque vero eruptio plures dies retardatur. Nulla vero post eruptionem observatur symptomatum remissio Cutis sicca et ardens evadit, nascuntur petechiae. Morbilli pallescunt et subin penitus evanescunt, paulo post nascuntur deliria vel convulsiones

3) Stadium *florescentiae*. Symptomata prioris stadii evadunt vehementiora Infantes in sopore, delirio vel convulsionibus, tremore membrorum ac tendinum subsultu miseram protrahunt vitam, Oriuntur demum haemorrhagiae narium vel renum, ac maculae gangraenosae cutis, praesertim in genitalibus. Plerique infantes in hoc moriuntur stadio.

4) Stadium *desquamationis*. Etiam in hoc nonnunquam febris adhuc durat et necat, vel febris evanescit, sed pulmonum symptomata manent, ac haud raro oritur phthisis.

Prognosis. Morbilli plerumque variolis sunt minus periculosi. Morbus quandoque adeo est mitis, ut morbi nomen vix mereatur. Si vero synocha valida, vel typhus gravior

morbillos comitatur, morbus evadit valde periculosus. Qui snb morbi decursu moriuntur, plerumque pneumonia post morbum vero phthisi pereunt. Malum est si exanthema quartum post diem primo erumpit. Subin largus sudor in morbi exordio ortus morbum cum miasmate aufert.

Causa proxima est contagium sui generis, nobis adhuc ignotum. Videtur eodem tempore cum variolis ex Arabia in Europam fuisse translatum.

Causae excitantes. Infectio eodem modo ut in variolis contingit. Plerumque grassantur morbilli epidemice a mense Januario ad Julium usque. Haud raro epidemiae morbillosae et variolosae se excipiunt, imo quandoque eodem tempore adsunt, adeo ut aegroti variolis et morbillis simul laborarint. Quandoque pertussis praecedit epidemiam morbillosam.

Causa disponens. Omnes fere homines imprimis infantes morbillis sunt obnoxii. Morbus raro eundem hominem bis aggreditur. Etiam infantes in utero gravido morbillis laborasse fuere visi. Plures pueri quam puellae hoc morbo pereunt, imprimis biennes et triennes.

Therapia. Morbilli *benigni* seu inflammatorii

exigunt victum vegetabilem, potum refrigerantem ex sale essentiali tartari, obscurationem fenestrarum et temperaturam frigidiusculum. Synocha vero gravior applicationem hyrudinum ac enemata eccoprotica postulat. Febre vero diminuta exhibeatur mixtura diaphoretica.

Morbilli *maligni* seu typhoidei exigunt, si febris est nervosa mitior polygalam, valerianam, arnicam, serpentariam, angelicam. In majori astheniae gradu dari debet camphora, opium, castoreum, praeprimis vero moschus. Si vero febris indolis est putridae maxime convenit cortex peruvianus cum floribus arnicae et spiritu vitrioli vel salis.

Redartata eruptio morbillorum petit balnea tepida, regressionis vero periculum vesicatoria et synapismos. Diarrhoea sistitur lacte ac phthisis timenda lichene islandico.

Rubeolae seu Morbilli spurii.

Febris cum eruptione macularum rubrarum cum faucium dolore ac hinc inde suppurantium.

Diagnosis. Tertio vel quarto febris die maculae erumpunt rubrae, pilo et tuberculo

carentes, majores et magis elevatae quam in morbillis. Symptomata catarrhalia multo pauciora in rubeolis adsunt, frequentius vero dolor faucium. Facta eruptione febris quidem fit mitior, sed faucium dolor manet adhuc. Biduo vel triduo post eruptionem maculae pallescunt, in plerisque locis suppurant, tandem siccescunt et forma surfurum se desquamant. Haud raro relinquunt oedemata extremitatum, anasarcam, intumescentiam tonsillarum et parotidum nec non ulcera chronica crurum.

Prognosis. Morbus est contagiosus et epidemicus. Plerumque morbillis multo mitior, ab his vero non tuetur, nec a secunda infectione. Quandoque typhus rubeolas comitatur, qui illas reddit malignas, et periculosissimas *).

Causa proxima. Contagium sui generis, sed a morbilloso diversum.

Causae excitantes. Constitutio epidemica, quae plerumque cum morbillosa ingreditur et potissimum infantes afficit.

Therapia sit eadem ut in morbillis. Remanens anasarca cedit balneis tepidis.

*) Berolini anno 1794 rubeolis moriebantur 623 infantes. Von Hoven l. c. p. 434.

Febris scarlatina.

Febris cum eruptione macularum rubrarum, latarum, confluentium.

Diagnosis. Morbi decursus quatuor format stadia. Et morbus est benignus vel malignus.

Stadia morbi benigni et inflammatorii sunt

1) Stadium *invasionis*. Plerumque hoc uno vel altero die durat cum lassitudine, rigore colli, capitis dolore, cutis ardore, horipilatione et aestu, siti, anorexia, constipatione, sopore, sed praecipue cum faucium dolore et deglutitione difficili.

2) Stadium *eruptionis*. Subin jam primo morbi die, sed plerumque secundo vel tertio die erumpunt maculae valde rubrae, quae brevi evadunt majores et latiores, ac confluunt in rubores palmares cutis, ac quandoque cutem integram instar cancri cocti colore scarlatino imbuant. Eruptio plerumque apparet in facie, dein in collo, thorace, abdomine, ac ulterio in exremitatibus. Subin vero simul in tota cutis superficie. Hoc stadium plerumque finitur intra 24 horas.

3) Stadium *florescentiae*. Facta eruptione febris et faucium dolor plerumque aliquantum remittunt. Quamdiu maculae prostant,

cutis est tumidula , prurit et ardet. Digiti vero sunt rigidi. Quandoque in hoc stadio super et inter maculas erumpunt vesiculae albicantes vel flavescentes, caput aciculae aequantes. Talis scarlatina audit *pustularis*, ut distinquatur a scarlatina *maculata*.

4) Stadium *desquamationis*. Biduo vel triduo ab eruptione, maculae pallescunt cutis tumiditas evanescit, ac epidermis cum pruritu forma furfurum se disquamat. Quandoque epidermis in forma manicae una cum unguibus detrahi potest. Subin desquamatio bis vel ter recurrit adeo ut hoc saepe ultra octiduum duret. Cutis post desquamationem adeo ad aerem manet sensilis, ut a minimo admisso frigore intra 8 vel 10 dies anasarca sequatur calida.

Decursus scarlatinae *malignae* seu typhoideae sic se gerit, si morbus jam in suo exordio malignus est.

1) Stadium *invasionis*. Febris ingreditur cum ingenti debilitate, capitis dolore, vomitu, diarrhoea, haemorrhagia, propensione in animi deliquia, delirio.

2) Stadium *eruptionis*. Haec quandoque primis 24 horis jam ingruit, et quandoque secundo vel tertio die primum observa-

tur. Subin maculae iterum disparent. Sed in utroque casu febris et angina plerumque augentur.

3) Stadium *florescentiae*. Macularum color evadit livescens et haud raro nascuntur petechiae. Fauces valde rubent ac tument. Subin ipsa lingua, glandulae submaxilares ac parotides intumescunt. In faucibus maculae nascuntur albae, quae sensim gangraenescunt, anima valde foetet et plurimi in hoc stadio moriuntur ex suffocatione.

4) Stadium *desquamationis*. In paucis, qui hoc attingunt, symptomata omnia et faucium affectio sensim remittunt et evanescunt. Epidermis incipit desquamari, oriuntur sudores et urina haud raro exhibet sedimentum puriforme. Reconvalescentia valde lenta est. Plerumque demum post 8 vel 10 dies sequitur anasarca frigida.

Prognosis. Morbus quandoque adeo est mitis, ut 7 intra dies evanescat quin agrotus lectum petat. Si vero synocha gravior et faucium inflammatio valida scarlatinam etiam benignam comitatur, instat periculum suffocationis. Scarlatina vero maligna ob typhum graviorem comitem est morbus periculosissimus. Demum anasarca, scar-

latinam excipiens morbus valde insidiosus est.

Causa proxima. Contagium sui generis, cujus originem et indolem ignoramus.

Causae excitantes. Constitutio aeris epidemica, quae ad finem autumni hyeme et ad initium veris in multis locis regnare solet. In aliquibus locis vix unquam vel rarissime observatur.

Causa disponens. Plerumque infantes, raro homines adulti hoc morbo corripiuntur. Et raro hominem eundem saepius quam semel aggreditur. Sed subin post desquamationem mox scarlatina oritur nova quae *secundaria* vocatur.

Prophyllaxis. Omni altero die detur octava pars grani foliorum belladonnae vel *pulvis Plumeri*, ex parte anatica aquilae albae et sulphuris antimonii aurati constans *).

Therapia. In scarlatina benigna, si angina non adeo vehemens detur emeticum. Si faucium inflammatio vero valida illico instituatur venae sectio in brachio aut admoveantur hyrudines ad regionem laryngis. Extus applicentur fomenta ex semine lini et foliis hyosciami in aqua vegeto-minerali coctis, et gargarismata emollientia cum

*) Hufeland's neues Journal 1. B. 1. St. p. 175.

aliquot guttis aceti lithargyrii et oxymelle simplici. Interne detur potus refrigerans ex decocto hordei vel oryzae cum succo citri, vel oxymelle simplici aut syrupo rubi idaei. Tandem aqua laxativa vel potio tamarindinata jungatur. Denique per totum morbi benigni et maligni decursum mane ac vespere detur granum semis aquilae albae.

In scarlatina *maligna* collo infricetur unguentum volatile camphoratum, imponatur toto collo synapismus vel vesicatorium, fomentum aromaticum. Inspiretur vapor aquae cum camphora vel alcali volatili. Et si imflammatio gangraenescit, pencillentur fauces cum solutione sacchari saturni et interne detur cortex peruvianus cum camphora et vino nec non.

Mixtura muriata.

R. Aquae juniperi unc. iv.
Spiritus salis acidi dr. j fs.
Syrupi cort. aurantiorum unc. j.
S. omni hora detur cochlear majus.

De curatione anasarcae suo titulo sermo fuit.

Febris urticata.

Febris cum eruptione pustularum, ut a tactu urticae urentis natarum.

Diagnosis. Pustulae sunt pallido rubrae, vel albicantes et area rubra circumdatae. Modo manent rotundae, quandoque longas in cute formant strias, et in suo exordio jam valde pruriunt ac ardent. Raro totum obsident corpus, plerumque duntaxat faciem, collum, thoracem vel brachia occupant. Subito erumpunt in calore lecti et in exacerbatione febris ac subito evanescunt in frigore ac in remissione febris. Post tertium vel septimum diem hae pustulae cum vel sine desquamatione penitus disparent. Febris quae hoc exanthema comitatur plerumque mitis ac catarrhali similis est et intra septem dies cum exanthemate desinit.

Prognosis. Morbus omni caret periculo at suo pruritu molestus est. Raro occurrit epidemicus et contagiosus non est.

Causa proxima. An miasma sui generis, a constitutione catarrhali epidemica? Infantes maxime huic febri sunt obnoxii.

Therapia. Morbus mixtura diaphoretica et regimine frigidiusculo facile fugatur.

Febris aphthosa.

Febris cum eruptione aphtharum in cavo oris et quandoque viis primis.

Diagnosis. Cum symptomatibus typhi mitioris vel gravioris oriuntur vesiculae exiguae in cavo oris, quae brevi in crustas abeunt albas, glutinosasque ac membrana tali crustosa labia, linguam, gingivas, palatum et fauces obducunt. Haec crusta saepius imo quandoque sexies decidit, at semper iterum regeneratur. Aphthae in ore ardorem et ruborem, salivationem et oris foetorem excitant ac masticationem et loquellam impediunt. Aphthae primarum viarum innotescunt difficili deglutitione, singultu, cardialgia, vomitu, colica, dysenteria cruenta et secessu crustarum per alvum.

Prognosis. Febris aphthosa, quo typhus est gravior, eo est periculosior. Aphthae discretae minus periculosae, quam in membranam crustosam confluentes. Quo color est obscurior aut nigerior, eo citius morbus in mortem abit. Quo profundius in oesophagum vel ventriculum penetrant, eo sunt pejores. Raro aphthae sunt criticae.

Causa proxima febris aphthosae videtur esse

miasma sui generis. Morbus enim est epidemicus et typhosus.

Causœ excitantes. Constitutio epidemica. In paedocomiis vero sordidis morbus est endemius, maxime infantibus infestus.

Therapia. Morbus ut typhus est tractandus, hinc antiseptica forma mixturae, collutorii et enematis praebenda.

R. Corticis peruviani unc. j.
Coquatur in aquae libra j. ad colaturam unc. viij. adde
Spiritus salis acidi dr. j.
Syrupi cort. aurantior, unc. j ſs.
S. omni bihorio duo cochlearia parva dentur.

Eadem mixtura cavum oris ope penicilli ex linteo carpto bene saepius eluatur.

Aphthae neonatorum.

Crustae subalbidae in cavo oris infantum neonatorum sine febre.

Diagnosis. Morbi decursus plerumque tria formare solet stadia.

1) Stadium *prodromi.* Infantes magis somnolenti vel insomnes evadunt. Quidam copiosius mingunt, alvus minus respondet. Papilla nutricis et digitus ori immissus majorem sentiunt calorem et ariditatem

oris. Infans ob sitim majorem frequentius ubera petit, at papillam labris calentibus vix arreptam cito iterum ob dolorem cum ejulatu ex ore dimittit.

2) Stadium *eruptionis*. Erumpunt in cavo oris vesiculae subalbidae, lenticulares, serum vel puriformem humorem continentes, quae cito in crustas albas abeunt. Plerumque primo apparent in superficie interna labii superioris, indeque sensim in gingivis, buccis, lingua et faucibus. Deglutio, et respiratio difficilior, vox rauca evadit et saliva copiosa, saepe cum sanguine mixta profluit ex ore. Quandoque ut vidi etiam in vulva et ano erumpunt aphthae.

3) Stadium *decidentiae*. Subin primis jam diebus aphthae decidunt at brevi iterum renovantur. Sed octavo vel nono die aphthae infantum saepe haud raro penitus evanescunt.

Prognosis. Aphthae frequentissimus et brevi post partum infantes infestans morbus est, at curatu facilis, et non periculosus. Quandoque vero chronicae evadunt aphthae et plures durant per menses. Quandoque nutricis excoriant papillas mammarum.

Causa proxima. Morbosa vegetatio epidermidis in cavo oris.

Causae excitantes. Neglecta evacuatio meconii, lac vitiosum nutricis, intermissa depuratio oris, sordities corporis, intermissa lavatio et balneatio corporis, aer impurus cubiculi. In regionibus calidis aphthae vix occurrunt.

Therapia. Praemisso eccoprotico et balneis tepidis os penicilletur bis de die cum solutione boracis vel vitrioli albi aut aluminis. Si ulcera mali moris in ore nascantur, adhibeatur collutorium antisepticum.

Collutorium boracinum.

R. Boracis dr. j.
Syrupi mororum unc. j ſs.
M. S. omni trihorio detur cochlear parvum et ope penicilli ex linteo carpto oris cavum bis de die penicilletur.

Collutorium vitriolatum.

R. Vitrioli albi gr. x.
Aquae cochleariae unc. vj.
Mellis rosati
Syrupi mororum aa unc. j.
S. pro penicillatione aut oris elutione.

Collutorium antisepticum.

℞. Extracti chinae
— terrae japonicae
Spiritus salis acidi
Tincturae myrrhae aa dr. ſs.
Syrupi mororum
Mellis rosati aa unc. j.
M. S. pro penicillatione.

Cancer aquaticus oris seu Noma infantum.

Buccarum corruptio gangraenescens.

Diagnosis. Oritur buccarum, labiorumque exulceratio tuberculosa et gingivarum corruptio, sanguinem ad minimum attactum fundentium. Animae foetor et copiosus salivae fluxus ex ore. Sensim dentes vacillant et in buccis saepe vesiculae lividae, in relinquo autem corpore maculae lividae majores erumpunt. Talis macula livida in genis adeo gangraenescit, ut saepe fenestra in cavum oris pateat. Maxillae ac ossa nasi evadunt cariosa, dentes excidunt, crura oedematose intumescunt et adeo evadunt sensilia ut attactum non ferant. Demum mors vitae miserrimae finem imponit.

Prognosis. Morbus nisi in suo adhuc exordio plerumque lethalis.

Causa proxima. Singularis diathesis scorbutica oris.

Causae excitantes. Aer pravus paedatrophiorum sordidorum. Diaeta crassa, lardacea, salina, et ex caseo veteri.

Causa disponens. Morbus infantes plebeos, imprimis scorbuticos et rachiticos infestare solet.

Therapia. Acidum muriaticum se imprimis comendat.

Collutorium muriaticum.

R. Mellis rosati unc. j.
Spiritus salis acidi dr. fs.
Tinct. myrrhae dr. ij.
M. S. bis vel ter de die partes oris corruptae penicillentur.

Mixtura muriatica.

R. Decocti cort. peruvian. unc. vj.
Spiritus salis acidi dr. j.
Syrupi corticum aurant. unc. j fs.
M. S. omni bihorio ingerantur duo cochlearia parva.

Achores seu Favus.

Crustae humidae in capillata capitis parte.

Diagnosis. Praevio capitis pruritu et glandula-

rum colli intumescentia oriuntur in capillata capitis parte vesiculae, quae scabendo vel sponte ruptae humorem glutinosum, foetidum, ac capillos conglutinantem eructant, qui cito in crustas abit molles, sensim solidescentes. Quandoque foramina meatuum sunt maiora et apum favis similia, ac securum, fertilissimumque pediculorum constituunt nidum.

Prognosis. Morbus est contagiosus et sibi diu relictus sensim inducit cachexiam cum magna debilitate ac emaciatione, pruritum ingentem et noctes fere insomnes. Sed subito suppressus causat quandoque asthma, phthisim, hydropem cerebri, opthalmiam obstinatam, epilepsiam, glandularum tumores, ossium mollitiem.

Causa proxima. Degeneratio humoris in glandulis cutaneis capillitii.

Causae excitantes. Neglecta mundities sordidi ac pediculosi capitis, tegumentum pelliceum, vel aliud nimis calefaciens aut materia achorosa inquinatum. Saepe autem diathesis scrophulosa, subin venerea latet.

Causa disponens. Omnes fere infantes huic morbo sunt obnoxii, sed raro ante biennium ingruit, et id potissimum tempore vernali.

Therapia. Capilli abscindantur, et crustae oleo tepido amygdalarum laventur, emolliantur, dein pectine auferantur. Illico autem caput depuratum, ne refrigeretur, calide est obvellandum. Interne aethiops antimonialis ac subin purgans detur.

Tinea neonatorum.

Crusta alba, quae infantibus paulo post partum verticem et synciput obtegere solet.

Diagnosis. Crusta interdum sat crassa evadit et minimorum pediculorum domicilium praebet, ni sedulo scopetur.

Prognosis. Plerumque brevi evanescit, quandoque tamen medium per annum durare solet.

Causa proxima. Liquoris glandularum cutanearum uberior secretio et induratio in aere.

Therapia. Praeter purificationem crustae cum scopula setacea nihil tentetur.

Tinea maligna.

Crustae albicantes et magnae capillitium pertinaciter obsidentes.

Diagnosis. E pluribus sibi vicinis pustulis humor glutinosus in capillitium exsudat, qui plagas vicinas sub crusta alba tegit,

aut picis liquefactae adinstar capillatam capitis partem et frontis vicini regionem superiorem obducit, ac singula in durum, crassum, squamosum, horridumque compingit operculum, quod locum vix mutat. Capilli elabuntur et quandoque alba erumpit lanugo. Caeterum vix magna sanitatis laesae symptomata occurrunt. Si vero tinea ad cranium usque penetrat, dolor nocturnus, inquietudo et macies ingruunt.

Prognosis. Morbus contagiosus, haereditarius ac curatu dificilis, et rebellis est. Circa pubertatem saepe sponte evanescit, quandoque integram per vitam manet. Evadit periculosus si cranium afficit.

Causa proxima. Contagium sui generis, cuti insinuatum aut in eanatum.

Causa excitans. Haereditas, diathesis scrophulosa vel venerea, usus tegminis sorditie tineosa infecti.

Therapia. Inungatur crusta tineosa omni vespera cum unguento Jasseri ad scabiem vel quod efficacius cum unguento cinnabarino et mane abluatur c... lixivio culinari vel sapone

R. Florum sulphuris unc. iij.
Cinnabaris factitiae unc. j.
Olei laurini q. s.
Misceantur in ungentum.

Interne dentur sanguinem depurantia.

Si haec unguenta morbum non auferant, applicetur gummi ammoniacum cum aceto scilitico in emplastrum coctum. Hoc corio illitum tam diu aplicatum relinquatur, donec sponte decidat.

Si etiam hoc incassum adhibetur, striae ex emplastro adhaesivo applicentur tineae et his caute avulsis bulbi capillorum extrahantur, dein loca nudata inungantur unguento ex parte aquatica mercurii nitrosi et butyro.

Crusta lactea.

Crustae alboflavescentes, quae mentum et faciei dimidium inferius obsident.

Diagnosis. Nascuntur pustulae, quae materiam tenacem ac viscidam explorant, confluunt, ac crustas sordidas, quibus facies media inferior, subin vero tota tegitur. Crustae deciduae se brevi iterum renovant Cutis intermedia pallide rubet ac quandoque valide prurit. Morbus cicatrices in facie

non relinquit, sed descendit quandoque in totum corpus, in quo autem crustae non confluunt.

Prognosis. Morbus non est periculosus sed contagiosus, raro autem eundem infantem bis afficit. Diu subinde durat, subin vero post dentitionem, ablactationem aut urinae copiosae missionem, quae urinae felleae spargit foetorem, disparet.

Causa proxima. Miasma sui generis in cute faciei natum.

Causae excitantes. Lac nutricis pravum, nutritio lautior, ingruens dentitio. Infectio ab infante, crusta lactea laborante.

Causa disponens. Quandoque scrophulosa vel haereditaria latet dispositio, Plerumque infantes adhuc sugentes raro quinquenes vel septennes infestat.

Therapia. Praemisso purgante detur mane ac vespere pulvis purificans et lac violae tricoloris, vel quod efficacius decoctum calami aromatici.

Pulvis purificans.

R. Magnesiae muriae unc. ſs.
Aethiopis antimonialis
Fuliginis splendentis aa dr. j.
S. bis vel ter de die cochlear parvum.

Lac violae tricoloris.

R. Herbae violae tricoloris recent. M. j.
Coque in lactis vaccini libr. j. Post brevem ebullitionem colatura detur.

Externe. Praeter frequentia balnea corporis, apponantur buccis folia recentia bardanae. Lavetur facies solutione sublimati corrosivi, aquae phagadaenicae vel solutione hepatica sulphuris. Pisi magnitudo unguenti albi in ambitu morbi infricari potest cuti faciei. His omnibus vero incassum tentatis ablactetur infans.

Herpes.

Area rubens, valde pruriens, vesiculis minimis obsita.

Diagnosis. Oriuntur vesiculae minimae, confertae, valde prurientes, mox in una mox in pluribus corporis partibus nec facie excepta. Cutis rubet, aliquantum intumescit ac imprimis noctu valde prurit. Morbus sensim *triplici* sub *forma* apparet.

1) Herpes *siccus* seu *farinosus*. Epidermis forma farinae vel squamularum albidarum, minimarum saepius secedit at brevi iterum renovatur et granula minima rubentia in cute format.

2) Herpes *humidus*. Si vesiculae ruptae humorem aquosum vel viscidum, valde acrem secernunt

3) Herpes *phagedaenicus*. Si herpes humidus humorem adeo acrem, rodentem eructat, qui in cute crustas et excoriationes dolorosas format.

Prognosis. Morbus curatu difficilis et haereditarius vix curabilis est. Sine omni tamen vitae periculo decurrit. Quandoque brevi evanescit, at aestate vel autumno iterum redit, quandoque per annos durat. Suo pruritu nocturno somnum fugat, debilitatem, emaciationem imo hecticam inducere potest. Morbus denique imprudenter *suppressus* producit phthisim, convulsiones, paralyses, aliosve morbos.

Causa proxima. Vegetatio abnormis in cutis organismo et humore ejusdem, qua sui generis nascitur acritas.

Causae excitantes. Neglecta mundites cutis et indusiorum. Lac pravum nutricis. Victus copiosus, acidus, pinguis, aromaticus. Aer pravus et cubilium recens structorum. Vestitus laneus.

Causa disponens. Haud solum adhuc lactentes, sed etiam jam ablactati infantes herpeti

sunt obnoxii, si parentum, vel nutricis acrimonia herpetica vel venerea, vel scrophulosa latet.

Therapia. Victus sit magis vegetabilis quam animalis, esus fructuum acidulorum imprimis pomorum valde salubris fuit.

Interne exhibeatur forte decoctum Dulcamarae et aethiops antimonialis vel pulvis Plumeri ac decoctum calami aromatici

Decoctum dulcamarae.

R. Caulium dulcamarae unc. ſs.
cum aquae bullientis libr. j. stent in infuso per horam dimidiam, dein per octavam horae partem una ebulliant.

S. mane ac vesperi detur vasculum unum, ab initio cum lacte, postea sine ejus connubio.

Pulvis purificans.

R, Aethiopis antimonialis unc. ſs.
Aquilae albae.
Sulphuris antimonii aurati aa. gr. x.
Magnesiae muriae dr. j.

S. Mane ac vesperi detur cochlear parvum.

Externe praemissis aliquo tempore medicamentis internis et frequentibus balneis simplicibus vel hepaticis applicetur oleum nucum juglandium recens expressum vel

solutio sublimati aut vitrioli albi vel hepatis sulphuris. Etiam prodest

Aqua antiherpetica.

R. Aquae phagadeniae unc. vj.
Lactis sulphuris dr. iij.
Aceti lithargyrii dr. j.
S. partes affectae mane ac vesperi laventur.

Aqua muriatica.

R. Aquae juniperi unc. iv.
Spiritus salis acidi dr. iij.
S. mane ac vesperi partes affectae laventur.

Unguentum calcareum.

R. Aquae calcis vivae recentis
Olei amygdalar. recent. aa unc. ij.
Conquassentur in linimentum
S. Illiniatur saepius parti herpeticae.

Unguentum oxygenatum

R. Axungiae porcinae unc. ſs.
Acidi nitrici dr. j.
Misce exactissime. S. Illiniatur parti affectae.

In herpete *phagadaenico* detur quotidie aluminis drachma una in decocto saturato sarsaparillae. Ad brachia fonticuli ponantur. Subin vesicatorium super herpete profuit.

Urticaria chronica.

Maculae rubrae et amplae, valde prurientes et ardentes sine febre.

Diagnosis. Maculae non rotundam sed multifariam induunt formam, in sua medietate pallent, ut maculae ab urtica urente caesae. Valde pruriunt et ardent. In calore evanescunt, in frigore iterum apparent.

Prognosis. Morbus omni quidem vitae periculo carens, at ob pruritum, ardorem et longam subin durationem molestus.

Causa proxima. Singularis vegetatio abnormis cutis.

Causae excitantes. Refrigeratio, saepius vero adsunt sordes gastricae aut vermes in infantibus. Subin febris urticata cessat et relinquit urticariam chronicam. Idem saepe ab uso thermarum hepaticarum observatur. Idiosycrasia, sic dantur integrae familiae, quae ab esu cancrorum vel mytilorum urticaria afficiuntur.

Therapia. Praemisso purgante ac balneis detur mixtura diaphoretica, aethiops antimonialis, aliave cutem depurantia.

Pemphigus chronicus.

Eruptio vesicarum prurientium pisi vel avellanae magnitudinis, sine febre.

Diagnosis. Vesicae sero aquoso, lutescente vel coerulescente sunt impletae, margine rubro circumdatae, subin magnitudinem nucis juglandis nanciscuntur, et subin confluunt. Sine febre at cum pruritu et ardore cutis erumpunt, diu prostant vel rumpuntur cum succedentibus vesicis novis. Eruptio omnibus in partibus fieri potest.

Prognosis. Morbus curatu admodum difficilis et diuturnus, subin integrum durans per annum.

Causa proxima. Singularis vegetatio abnormis in cute.

Causae excitantes. Subin remanet a praegressa febre bullosa. Subin turbata excretio urinae vel progenies a parentibus arthriticis morbi est causa. Rarissime est congenitus.

Therapia. Interne ac externe adhibeatur acetum antisepticum seu aromaticum.

Scabies.

Pustulae albae a miasmate scabioso natae.

Diagnosis. Nascuntur exiguae pustulae albae in ambitu rubentes, ruptae humorem pellucidum eructantes, vehementer prurientes, praesertim in calore et tum fricantur, quae primum in manubus, praecipue in digitorum interstitiis oriuntur et diutius durantes in crustas humidas vel siccas abeunt.

Subin morbus se propagat in omnes extremitates et truncum corporis at rarissime in faciem.

Prognosis. Morbus est contagiosus, at in suo exordio sanitatem non laedens et absque vitae periculo. Durat subin aliquot duntaxat hebdomades, subin per annos, subin curata redit semel vel bis in anno. Diu durans scabies generat emaciationem, cachexiam et febrem hecticam et facta metastasi phthisim. Plurima scabies est sicca, haec subin evadit humida, haec vero raro transit in siccam.

Causa proxima est contagium sui generis, cujus indolem ignoramus. Acarus scabiei, qui quandoque in pustulis invenitur, non causa, sed effectus morbi est.

Causae excitantes. Quum contagium scabiosum est fixum, hinc duntaxat communicatur

per contactum aegroti scabiosi, vel vestimenti aut lecti, quo usus est, vel per inoculationem puris scabiosi.

Causa disponens tamen requiritur in cute, non enim omnis homo a contagio, quocunque modo applicato inficitur.

Therapia. Si scabies infantum recens, nondum ultra 14 dies jam durans, sufficit plerumque frequens lotio partis scabiosae cum aqua saponata, vel decocto Helenii aut ejusdem unguento.

R. Rad. Helenii unc. ij.
Coquantur cum aqua fontana ad mucilaginem et colaturae adde
Axungiae porcinae q. s. ut fiat unguentum.
S. pro inunctione.

Si vero scabies jam adulta dentur interne flores sulphuris et decoctum Helenii. Externe vero conveniunt balnea hepatica vel

Unguentum Jasseri ad scabiem.

R. Florum sulphuris
Vitrioli albi aa unc. j.
Unguenti rosati unc. iij.
S. bis de die quantitas pisi illiciatur volis manuum aut plantis pedum vel poplitibus.

Aqua antipsoria Justini.

R. Florum sulphuris unc. j ſs.
Salis ammoniaci. unc. ſs.
Coque in aquae calcis libris ij ſs ad remanentiam librarum j ſs. Colaturae adde
Mercurii sublimati corros. scr. j.
S. omni vespere loca scabiosa abluantur.

Aqua hepatica.

R. Hepatis sulphuris salini unc. j.
Aquae communis unc. vj.
Spiritus salis acidi dr. j.
S. Bis de die laventur partes scabiosae.

Scabies subito *suppressa* exigit interne sulphur, aethiopem antimonialem vel pulverem Plumeri cum camphora. Externe applicentur rubefacientia vel vesicantia et his incassum adhibitis fiat inocclatio scabiei.

Efflorescentia infantum.

Pustulae rubrae primis jam mensibus post partum erumpentibus.

Diagnosis. Pustulae admodum rubrae, vel pallido-rubrae, paullo post partum vel tempore instantis dentitionis erumpunt in genis et ad latera nasi, nonnunquam in occipite etiam et extremitatibus, raro in

toto corpore. Epidermis se quandoque desquamat, at pustulae brevi in eodem loco iterum redeunt.

Prognosis. Hae pustulae subin diu imo integrum per annum durant et infantes bene se habent. Sed frigore repulsae diarrhoeam, vomitum, tormina imo convulsiones causant. Efflorescentia dentionis cessat plerumque cum dente erumpente.

Causa proxima. Abnormis vegetatio glandularum in cute. Subin per cutis consensum cum dentibus.

Therapia opus est nulla. Cutis balneo tepido saepius depuretur et a refrigeratione custodiatur.

Furunculus.

Inflammatio dura in cute, quae ovi columbini magnitudinem obtinet.

Diagnosis. Tumor lente oritur, rotundus vel coniformis, fuscoruber, dolens ac duriusculus aliquo tempore est. Tandem crepat et pus cum sanguine mixtum eructat, in suo profundo autem nucleum durum ex tela cellulosa formatum relinquit, qui tardius digitis exprimi potest. In omnibus corporis locis, praesertim in juncturis oriri solet.

Prognosis. Morbus nec periculosus nec curatu difficilis est, si nucleus exivit, alias ulcus non coit, vel sanatum iterum aperitur.

Causa proxima. Inflammatio glandulae subcutaneae.

Causae excitantes. Decubitus materiae morbosae post variolas, scabiem, et febres infantum.

Causa disponens. Minimi jam infantes furunculo laborare possunt. Dantur qui ex dispositione furunculosa saepius in anno furunculis afficiuntur. Visus est infans, qui cum furunculo gangraenoso jam nascebatur *).

Therapia. Applicetur tumori emplastrum diachylon compositum, unguento basiliconis illitum, et desuper cataplasma ex semine lini, croco et foliis hyosciami in lacte coctis. Finita larga suppuratione digitis exprimatur nucleus remanens. In dispositione furunculosa dentur depurantia interna.

Comedones seu Crinones.

Puncta nigricantia in cute, quae forma vermiculorum minimorum exprimi possunt.

---

*) Kranz de re instrumentaria observatio secunda.

Diagnosis. Cutis est laxa, sicca et pallida, ac ubique vel in multis locis obsita punctis nigris vel in majori gradu talibus filamentis vermicularibus.

Prognosis. Morbus cutis per se nec periculosus nec curatu est difficilis, si non simul atrophia infantum adest.

Causa proxima. Sebum in glandulis cutaneis inspissatum.

Causae excitantes. Neglecta mundities cutis Victus insalubris. Frequens vero symptoma est atrophiae infantum.

Causa disponens. Morbus jam in primis vitae mensibus occurit.

Therapia. Externe balnea tepida ex sapone, plantis aromaticis et maltho. Dein semper frictio corporis cum panno laneo adhibeatur, vel illiniatur mox a balneo

Unguentum ad comedones.

R. Fermenti cerevisiae
Farinae tritici aa unc. ij.
Mellis communis cochlear j.

S. unguentum calefactum infricetur partibus aegrotis. Post aliquot mînuta unguentum iterum a cute cum comedonibus prodeuntibus ope panni lanei et aquae saponatae detergatur *).

*) Baldinger Magazin. 3 B. 4. St.

Interne dentur medicamenta in atrophia infantum laudata.

Phthiriasis capitis.

Pediculorum ac lendium copia ingens in capitis parte.

Diagnosis eruitur visu. Haec insecta pruritum intolerabilem, noctes insomnes, achores, emaciationem corporis, pallorem faciei inducunt. Subin pediculi, ut vidi etiam in supercilliis nidulantur. Quandoque in capite ac aliis corporis partibus tumores nascuntur exigui, admodum pruriginosi, qui incisi magnam copiam continent pediculorum alborum *).

Prognosis. Morbus infantibus, praesertim morbosis valde familiaris, diu durans cachexiam et maciem inducens.

Causa proxima. Progenies pediculorum ignoratur. An sordes ex neglecta munditie et achoribus vivificantur.

Therapia. Capilli abscindantur et caput oleo amygdalino additis aliquot guttis olei anisi lotum pectinetur. Si vero capillorum abscissio in infantibus adultioribus non admittitur, applicetur

---

*) Herberden Comentarii p. 278.

Unguentum ad pediculos.

R. Seminis petrosellini pulv. unc. j.
Axungiae porcinae libr. ſs.
Olei laurini unc. ij.
Seminis anisi destil. dr. ſs.

In mortario vitreo, antea calefacto exactissime triturentur in unguentum. S. Exigua portio unguenti inungatur capillatae capitis parti.

Unguentum e semine sabadilli et staphisagrae nimis est acre, imprimis si ulcera adsunt in capite achoroso. Si vesiculae adsunt pediculares, aperiantur et oleo therebintinae cum camphora in spiritu vini soluto tangantur.

Ephelis neonatorum.

Macula lutea in recens natis

Diagnosis patet visui. Subin unica subin plures tales maculae adsunt. Subin exiguae, subin, ut in thorace vidi, palmae latitudinem habent et pruriunt.

Prognosis. Morbus est absque omni periculo, et plerumque sua sponte at non semper evanescit.

Causa proxima esse videtur icterus localis neonatorum.

Therapia. Si ephelis diu non evanescit, applicetur

Aqua cosmetica.

R. Furfur. amygdalarum dr. ij.
Aquae rosarum
— flor. naphae aa unc. viij.
Terantur ut fiat emulsio. Adde
Tincturae benzoes dr. ij.
Boracis dr. j.
S. pro lotione macularum.

Interne exhibeantur, quae in ictero neonatorum comendavimus.

Rosa genarum.

Rubor genarum circumscriptus.

Diagnosis eruitur visu. Morbus plerumque est transitorius, sed saepius rediens.

Prognosis. Plerumque, si non a causa externa dependet, quid morbosi in corpore designat.

Causa proxima. Major sanguinis affluxus in vasa sanguinea genarum.

Causae excitantes. Corporis incalescentia ab insolatione vel furno calido. Ira vel crapula nutricis. Ingruens dentitio vel crusta lactea. Saburra gastrica, febris inflammatoria. Dispositio ad hecticam floridam.

Therapia. Causa ruboris est amovenda et infanti emulsio danda.

Verrucae infantum.

Excrescentiae exiguae in cute.

Diagnosis. Verrucae infantum plerumque sunt molles, sessiles ac indolentes. Rarissime petiolatae et solitariae, sed plerumque gregatim erumpunt ad latera faciei vel colli vel in manibus.

Prognosis. Praeter turpitudinem nihil mali causant. Sed morbus verrucosus, ubi in toto corpore verrucae progerminant, raro sanabilis est. Verrucae infantum sugentium post ablactationem saepe sponte evanescunt.

Causa proxima. Singularis vegetatio papillarum cutis.

Causae excitantes non notae

Therapia. Apices verrucarum mediante penicillo quotide semel spiritu salis acidi tangantur.

Sordities cutanea neonatorum.

Vernix caseosa superficiem totius corporis neonatorum obducens.

Diagnosis eruitur visu. Cutis neonatorum primis 24 horis valde rubet et epidermis, aliquot post dies forma furfurum secedit.

Prognosis. A nimia abstersione glutinis cutis adeo rubra et sensilis evadit, ut infans a minimo contactu ejulet.

Causa proxima. Copiosior secretio liquoris glandularum cutanearum durante graviditate.

Therapia exigit balneum ex aqua tepida. Si sordities valde est tenax, sapo venetus lacte solutus addatur balneo. Et si cutis valde rubet et dolet, quaedam albumina ovorum cum balneo lacteo misceantur.

Intertrigo genitalium.

Excoriatio supeficialis et rubor circa partes genitales.

Diagnosis. Scrotum, vulva, perinaeum, inguina et interna femorum superficies valde rubet, prurit, madet, foetet, et a frictione ardet.

Prognosis. Morbus neglectus in mali moris ulcera saepe transit.

Causa proxima. Urinae vel sudoris acritas epidermidem macerans et cutem rodens.

Causae excitantes. Neglecta mundatio genitalium, quando infantes diu in linteaminibus urina et foece conspurcatis relinquuntur. Subin vero lac nutricis causa est, nam saepe infantes mundissime servati in-

tertrigine tamen laborant, et sola mutatione nutricis vel ablactatione sanantur.

Therapia. Quotidiana lavatio genitalium et aspersio pulveris lycopodii per floculum gossipii ad arcendam et sanandam intertriginem saepe sufficit. Si excoriatio vero jam nimis est profunda, applicetur

Unguentum ad intertriginem.

R. Unguenti rosati unc. ſs.
Pulveris lycopodii
Florum zinci aa dr. j.
M. S. applicetur ope lintei.

Si morbus non cedit, mutetur nutrix vel ablactetur infans.

Excoriatio retroauricularis.

Excoriatio superficialis in cute retro auriculas.

Diagnosis eruitur visu. Auricula et regio retro auricularis rubet, tumet, ac humorem mali odoris secernit. Cuticula in furfures abit. Quandoque excoriatio adeo profunda evadit, ut magnam copiam puris, capillos conglutinantis et pulvinaria lecti foede maculantis eructet. Quandoque simul adest otorrhoea.

Prognosis. Morbus infantum frequens at absque

periculo est, at subito suppressus aurium et oculorum morbos quandoque infert.

Causa proxima. Decubitus humoris morbosi ad cutem auricularum.

Causae excitantes non notae. An pressio auriculae per vittam nimis arctam.

Therapia. Pars excoriata saepius de die lavetur infuso herbae rutae et inspergatur pulvere lycopodii. Cave a saturninis.

Excoriatio umbilici.

Excoriatio superficialis in umbilico.

Diagnosis eruitur visu umbilici rubentis, madentis, dolentis ac superficialiter excoriati.

Prognosis. Morbus curatu facilis, at herniae umbilicali et ut semel vidi, carni valde luxurianti dare potest ansam.

Causa excitans est plerumque praematura tractio et lapsus funiculi umbilicalis.

Therapia. Umbilicus exulceratus conspergatur pulvere lycopodii, bolo armena, floribus zinci. Caro luxurians auferatur lapide infernali.

Otorrhoea.

Profluvium humoris serosi vel puriformis ac foetidi e meatu auditorio externo.

Diagnosis eruitur visu et odore. Quandoque simul ossicula auditus excernuntur et quod mirum absque magna auditus laesione. Nigredo humoris rancidi effluentis designat cariem meatus auditorii.

Prognosis. Morbus simplex infantibus valde familiaris et non periculosus est. Sed cariosus periculosus et curatu difficilis existit.

Causa proxima. Decubitus humoris morbosi ad glandulas meatus auditorii externi.

Causae excitantes. Inflammatio praegressa meatus auditorii vel corpus heterogeneum in eo. Contusio auris. Metastasis variolosa, morbillosa, venerea, scrophulosa, achorosa.

Therapia. In morbo simplici injiciatur infusum herbae rutae. In carioso autem huic addatur tinctura myrrhae et mel rosatum. *Interne* detur cortex peruvianus cum pauco mercurio dulci et asa foetida.

Haemorrhagia umbilici.

Sanguifluxus ex umbilico vel fune umbilicali,

Diagnosis. Funiculus ex umbilico ruptus eruitur visu. Si vero haemorrhagia e fune umbilicali oritur et infans jam fasciis involutus jacet, malum se prodit, si sanguis fascias non penetrat, pallore, frigore faciei et animi deliquio.

Prognosis. Morbus facile evadit lethalis vel longam debilitatem et pallorem infantis relinquit.

Causae excitantes. Rumpitur funiculus ex umbilico si nimis brevis, aut non relaxetur sub violenta extractione infantis, vel si is sub partu subitaneo in terram cadet. Post partum funiculus umbilicalis sanguinem plorat, negligenter ligatus. Funiculi valde crassi, etiam bene ligati saepe tamen brevem post moram sanguinem transmittere solent.

Therapia. Umbilico erupto imponatur spongia vulgaris, aqua frigidissima ebria et iterum expressa. Hac ablata imponatur vulneri linteolum, ne nova spongia frigida nimium vulneri accrescat. Totum splenio lo et fascia appressum servetur. Aqua vulneraria Thedenii, si ad manus est, etiam bonum est pro haemorrhagia umbilici stypticum.

Si haemorhagia a fune umbilicali negligenter ligato oritur, hic illico de novo ligari et revolutus iterum firmius non chorda sed tenui ligamine ligari debet.

Impressio cranii.

Fovea vel impressio latior in quodam cranii loco sub partu facta.

Diagnosis. Locus impressus tactu et subin visu percipitur.

Prognosis. Impressio levis a partu nulla inducit symptomata et plerumque sponte iterum sensim elevatur.

Causæ excitantes. Situs obliquus capitis diutius margini ossis pelveos appressi. Inepta forcipis vel vectis applicatio.

Causa disponens. Cranii mollities infantis admittit impressionem sine fractura.

Therapia. Impressio levis relinquatur naturae.

Impressio costarum.

Impressio aliquot costarum versus cavum thoracis.

Diagnosis eruitur tactu et quandoque, si impressio fortis est, etiam visu.

Prognosis. Subin inducit dyspnoeam. Plerumque

evanescit, si infans non amplius brachio gestatur.

Causae excitantes. Quando nutrix infantem semper eodem gerit brachio, et hoc simul violenter thoraci infantis apprimit.

Therapia. Nutrix gestationem infantis brachio mutet et saepius clunibus insistentem gerat

Oppressio infantis.

Incubitus nutricis dormientis in infantem.

Diagnosis. Infans est asphyctus et ubique lividus.

Prognosis. Fortis compressio est semper lethalis, sed levior quandoque curatur *).

Causa excitans. Haud solus incubitus nutricis, sed etiam nutrix sedens et dormiens magna sua mamma sub lactatione nares et os infantis obturando, illum suffocare potest.

Therapia. Infans asphyctus relaxatis fasciis, illico portetur in athmosphaeram liberam, inflletur aer in pulmones, guttetur ex alto aqua frigida in scrobiculum cordis. Totum corpus cum aceto, plantae pedum cum scopula setacea bene fricentur. De-

*) Asserit Rosenstein in Suecia omni anno 650 infantes sic perire.

mum infans imponatur balneo tepido, detur enema et ori instilletur liquor anodynus mineralis.

Prophyllaxis. Lectus nutricis sit valde latus, vel infans penes illam in lectulo italico vel danico dormiat *).

Diastasis cranii.

Fonticuli et suturarum cranii hiatus longus.

Diagnosis eruitur visu et tactu.

Prognosis. Solius fonticuli hiatus non est periculosus, in infantibus rhachiticis quandoque pluros per annos hiat. Plerumque vero moriuntur infantes, quibus suturae diu hiant.

Causa proxima. Ossificationis processus in cranio iminutus.

Causae excitantes. Aetas praematura, constitutio rhachitica, hydrocephalus internus.

Therapia. Fonticulus tegatur linteo, spiritu vini camphorato madido. Interne dentur antirhachitica.

Luxatio.

Exitus ossis mobilis e suo cavo articulari.

---

*) Braun über der Werth und Wichtigkeit der weiblichen Brüste. 2 Th. ad finem operis.

Diagnosis eruitur ex signis, cuilibet luxationi propriis, e chirurgia petendis.

Prognosis. Facile in infantibus sub versionis negotio contingit luxatio, sed etiam facilior est in infantibus ejusdem repositio, ob minorem musculorum resistentiam, quam in adultis.

Causa proxima est semper abnormis et violenta tractio brachii vel femoris. Sic contingit

Luxatio *humeri*, si capite extractis pedibus cum brachiis in pelvi retento, brachium non super thoracem, sed super dorsum evolvitur.

Luxatio *femoris.* Si infans uno pede praevius violenter extrahitur. Oportet prius alterum pedem deorsum trahere et sic foetum junctis simul cruribus ambobus extrahere.

Luxatio *maxillae inferioris.* Si haec corpore nato, promontorio ossis sacri innixa digitis ori infantis impositis violenter deorsum trahitur. Oportet prius caput ad latus promontarii movere ac dein digitis maxillae superiori impositis caput deorsum ducere.

Luxatio *nnchae.* Quando corpore infantis nato caput cum brachiis pelvi inclavatum manet, ac truncus manu violenta attrahi-

tur, tunc vertebrae nuchae ligamentis valde extensis vel ruptis separantur et infans nascitur mortuus. Oportuisset prius brachia penes caput super thoracem evolvere.

Luxatio *spinae dorsi.* Si pedes infantis dorso praevio nascentis super lumbos et non super abdomen trahuntur, facile oritur luxatio inter ultimam dorsi et primam lumborum vertebram. Tales infantes vel mortui vel cruribus nascuntur paralytici.

Therapia. Luxatio illico post partum lege artis reponatur, et fomento roborante apposito, apta deligatione in situ retineatur.

Fractura.

Ossis solutio in duo vel plura fragmenta.

Diagnosis eruitur strepitu et mobilitate ossis in loco, qui firmus esse deberet. Infans os fractum movere timet et ejulat si tangitur.

Prognosis. Fracturae in infantibus cito, jam intra 15 vel 20 diebus concrescunt.

Causa excitans. Femoris ac brachii fracturae sunt frequentissimae, quae sub partu contingere possunt, si haec membra abnormi et violenta attractione sub versionis

negotio evolvuntur. Subin epiphysis cartilaginea femoris secedit.

Therapia. Repositione est raro opus. Locus fracturae fomento roborante, vel ovi albumine conquassato, splenio et apta fascia firmetur. Vel applicetur charta lusoria vino inticta. Ut brachium in quiete maneat, ope fasciae trunco et femur fractum femori sano uniri potest.

Ecchymoma capitis.

Tumor lividus in syncipite vel occipite neonatorum.

Diagnosis. Capitis pars praevia a situ vitioso sub partu adeo quandoque intumescit, ut tumor magnus, lividus et dolorosus in syncipite vel occipite infantis neonati statim post partum percipiatur. In hoc ecchymomate sanguis sub cute effusus invenitur. Sed datur etiam ecchymoma *cariosum* in quo cranii superficies est cariosa *) et cujus sanguis super ipso cranio locatur. Hic tumor plerumque adhaeret ossi parietali et die altero post partum primo apparet. Cutis non est livida, et facile super tumo-

*) Loders Journal. 2 B. 4 St. 627. S.

rem, qui immobilis sub ea est, moveri potest. Tactu percipitur profunda fluctuatio et asper cranii cariosi margo. Tumor elevatior et magis circumscriptus est, quam in ecchymomate cutaneo.

Prognosis. Ecchymoma cutaneum omni periculo caret et plerumque intra dies aliquot evanescit, raro per hebdomades durat. Ecchymoma cutaneum est morbus frequentissimus, cariosum rarissimus et ob cranii erosionem periculosissimus.

Causa excitans Ecchymoma cutaneum a cranii parte praevia male sita et diutius pelvi incuneata oritur. Ecchymoma vero cariosum a longe alia causa nasci debet, nam post facillimum partum observabatur.

Therapia. Ecchymoma cutaneum lavetur aliquoties de die, vino herbis aromaticis infuso, et si diutius duret, spiritu vini camphorato. Ecchymoma vero cariosum longitudinaliter discindatur, ut cranio corrupto mederi possit.

Ecchymosis faciei.

Intumescentia livida faciei neonatorum.

Diagnosis. Infantes, quibus funiculus umbilicalis collum valde stringit, et quidam

cum facie praevia nati faciem saepe adeo tumidam et lividam habent, ut aethiopis referant vultum. Imprimis palpebrae ob habitum laxiorem valde inflantur.

Prognosis. Morbus plerumque aliquot intra dies evanescit. Palpebrae subin sed raro in abscessum abeunt.

Therapia. Facies saepius de die lavetur vino herbis aromaticis infuso.

Oblongatio capitis.

Capitis figura sub partu in oblongam vel obliquam pressa.

Diagnosis eruitur visu.

Prognosis. Solis naturae viribus deformitas aliquot intra dies emendatur.

Causae excitantes. Caput diu pelvi angustae incuneatum.

Therapia. Morbus soli naturae relinquendus et caput vino herbis aromaticis infuso saepius de die lavandum. Sed caveas, ne obstetrix scopo repositionis rudi manipulatione caput contrectet.

Encephalocele seu hernia cerebrina.

Cerebri protuberantia per foramen in loco quodam cranii sub cutem egressa.

Diagnosis. Tumor cuti concolor, indolens, quandoque pulsans et fluctuans. Si tumor exiguus est, a pressione evanescit vel minuitur, mox vero ablata pressione iterum redit. In circumferentia tumoris margo ossis deficientis tangitur.

Tumor in quolibet cranii loco nasci potest, frequentissime comparet in ossibus parietalibus. Infantes brevi post partum perpetuo clamant, contabescunt et moriuntur convulsionibus paralysi aut sopore vel diarrhoea praesertim si tumor frigori exponitur.

Prognosis. Excephalocele valde exigua interdum a natura sanatur, quae vero jam ovi gallinacei magnitudinem habet, incurabilis est. Incisio aut suppuratio tumoris est lethalis.

Causa proxima. Ossificationis defectus in quodam cranii loco.

Therapia. Tumor spleniis graduatis, spiritu vini madidis et lamina eburnea vel plumbea, mitrae assuta leniter comprimatur. Convulsio a refrigeratione tumoris sistitur applicato panno calesacto ad caput.

Obturatio narium.

Narium obstructio ab infarctu pituitoso.

Diagnosis eruitur visu pituitae tenacis in foraminibus narium. Infantes respirant difficulter et ore aperto, mammis admoti stertunt et suffocari videntur.

Prognosis. Morbus est periculosus ob impeditam lactescentiam vel respirationem. Subin mucus tenax e naribus in laryngem deglutitus suffocationem momentaneam infert.

Causae excitantes. Frequentissima est infantis neonati refrigeratio, ut saepe sub baptismo in ecclesia frigida contingit. Subin corrysa epidemica inter infantes aliquot mensium regnavit adeo atrox ut Londini ex 8 moriebantur 6 infantes.

Therapia. Mucus narium tenax lacte vel butyro majoranae vel oleo ovorum emolliatur, dein barba calami, in nares caute intrusa moveatur sternutatio. Interne detur eccoproticum, dein mixtura diaphoretica et retro aures vesicatorium. Si instet suffocatio a muco deglutito infans a nutrice in dorso concutiatur vel barba calami faucibus intrusa moveatur vomitus.

In chronico infarctu narium admoveatur

Aqua nasalis Rosensteinii.

R. Aquae majoranae unc. j.
Vitrioli albi
Elaterii albi aa gr. ij.
S. ope linteoli intromittatur naribus *).

Tumor lacteus mammarum.

Intumescentia mammarum in neonatis a lacte.

Diagnosis. Quandoque mammae utriusque sexus adeo turgent lacte, ut hoc serosum pressione e papillis exeat.

Prognosis. Morbus plerumque aliquot intra dies evanescit. Quandoque tamen in inflammationem imo abscessum abit. Rarissime in indurationem.

Causa proxima. Lactis secretio in mammis neonati.

Therapia. Mammae manu suspensa lenissime exprimantur vel quod melius a nutrice exsugantur et detur eccoproticum.

Ranula.

Tumor sub lingua, salivam instar albuminis in ductu salivali continens.

---

*) Rosenstein von den Kinderkrankheiten. 5te Auflage. p. 40.

Diagnosis. Tumor sub lingua albicans vel rubens, indolens, fluctuans, oblongus vel rotundus, qui magnitudinem pisi et quandoque ovi columbini habet et abdomen ranae refert. In neonatis quandoque crassitiem pennae corvinae habet, quae sub ploratu infantis in corniculum intumescit *).

Prognosis. Tumor major impedit suctionem et deglutitionem ac stertorosam quandoque reddit respirationem.

Causa proxima. Concretio orificii ductus salivalis sub lingua.

Causae excitantes. Morbus est quandoque congenitus, sed a mala solutione frenuli, rudi elutione oris vel ambustione oris cum pulmento nimis adhuc calido etiam oriri potest.

Therapia. Tumor forfice discindatur et emisso liquido albuminoso pars sacci auferatur, et vulnus melle rosato illiniatur.

Epulis sublingalis.

Tumor fungosus in cavo sublinguali neonatorum.

Diagnosis eruitur visu et tactu tuberis sub lingua in loco frenuli, fungosi seu car-

*) Vogel Wahrnehmungen 2 S. 54 S.

nei, qui non fluctuat ut ranula. Infans si epulis magna est, nec sugere nec deglutire valet, et ab ingestis alimentis facile suffocatur, quum lingua immobilis epiglotidem non deprimat.

Prognosis. Morbus est rarissimus et hucusque semper lethalis *). Excisio enim tumoris ob arterias raninas in tumorem desinentes periculosissima. An tumoris adustio cum ferro securior?

Therupia hucusque nota nulla. Vita enematibus nutrientibus prolonganda.

Struma.

Tumor fungosus glandulae thyroideae.

Diagnosis. Tumor indolens, cuti concolor, fungosae consistentiae, lente ortus in antica parte colli conspicuus. Struma exigua sanitatem non laedit, sed struma adeo magna ut venas jugulares comprimat, respirationem difficilem, capitis dolorem et vertiginem inducit.

Prognosis. Struma recens et exigua facile curatur, sed antiqua et nimis magna plerumque est incurabilis.

---

*) Levret observations sur l'allaitemant des enfans. Paris 1781.

Causa proxima. Impedita transsudatio humoris ex glandula thyroidea.

Causae excitantes. Refrigeratio perennis colli, an ideo struma frequentior in puellis quam pueris. Oneris gravioris portatio super capite. Fortis capitis reclinatio sub risu, cantu, clamore, tussi, vomitu, sternutatione. An potus aquae seleniticae? In alpibus et vallibus quarundam regionum struma est morbus endemius et quandoque est haereditarius, raro congenitus. Frequens est cretinismi symptoma.

Therapia. Detur spongia usta seu pulvis strumalis a granis 5 ad 10 de die in syrupo quodam vel quod multo efficacias

Decoctum antistrumale.

R. Spongiae officinalis in frustula scissae
Lapillorum in ea repertorum aa unc. iv.
Pilarum marinarum unc. j.
In vase figulino ignis ope comburantur in cinerem. Postea

R. Hujus cineris unc. j.
Coque cum aquae fontanae libr. ij. ad remanentiam partis dimidiae. Colaturae adde Syrupi cort. aurantionem unc. j.
S. bis vel ter de die dentur cochlearia duo.

Prolapsus ani.

Intestini recti procidentia ex ani orificio.

Diagnosis. Conspicitur in ani orificio tumor rubicundus, rugosus, sensilis et in ani orificium reducibilis. Si pars prolapsa adhuc est exigua, refert annuli, si vero jam longa, botuli formam. Recens prolapus duntaxat sub omni alvi egestione progreditur, habitualis vero etiam extra eam conspicuus manet.

Prognosis. Morbus recens et adhuc exiguus facile sanatur, habitualis vero et magnus diu protractam exigit curam.

Causa proxima. Atonia sphincteris ani.

Causae excitantes. Fortis et diuturnus clamor. Sessio diuturna super matula vel sella perforata. Tussis vel sternutatio fortis. Diarrhoea vel tenesmus habitualis ad alvum vel urinam.

Therapia. Prolapsus digitis oleo intinctis reponatur et sub quavis alvi egestione digitis retineatur. Dein glomer ex linteo carpto, fomento adstringenti intincto orificio ani imponatur, ac spleniis graduatim positis et fascia retineatur. Prolupsus vero habitualis requirit simul pessarium *Darnodii* vel bracherium *Camperi.*

Fomentum adstringens.

R. Corticis quercus unc. j.
Vini rubri libr. j.
Aluminis crudi dr. ij.
Coquantur et colatura signetur pro fomentatione ani.

Prolapsus linguae.

Linguae prolapsus extra oris cavum.

Diagnosis eruitur visu. In gradu mitiori lingua ad unum pollicem ex ore propendet, at sponte in os retrahi potest. In gradu graviori lingua ad plures pollices et tumida prolabitur, labium inferius invertitur et prolongatur, maxilla inferior excavatur, dentes antrorsum premuntur vel excidunt. Lingua saepe cruentatur et excoriatur. Saliva profluit ex ore, unde siccitas oris et sitis perennis, Deglutitio est difficilior.

Prognosis. Morbus in gradu mitiori curatu facilis. In gradu autem graviori difficilis. Lactatio malum auget.

Causa proxima non satis innotescit. An sola mala consuetudo infantis linguam perpetuo ex ore exserendi. An congenita linguae magnitudo?

Causa disponens. Quandoque morbus est con-

genitus, quandoque brevi post partum, et subin primum post annum apparet.

Therapia. Linguae apex alumine, pipere vel zingibere tactus reponatur in oris cavum et maxillae ope fasciae, seu fundae maxillaris firmiter uniantur. Si vero lingua nimis tumida, haec prius aliquot hyrudinibus est evacuanda *). Monstrosa vero linguae magnitudo exigit abscissionem.

Oedema crurum.

Intumescentia aquosa crurum.

Diagnosis. Tumor pallidus, frigidus, indolens, foveam a digito impresso retinens.

Prognosis. Morbus congenitus sponte intra aliquot dies evanescit. Diutius vero durat, si alius morbi est symptoma.

Causa proxima. Reditus lymphae in vasis lymphaticis crurum impeditus.

Causae excitantes. An malus infantis situs in utero? Saepe vero sequitur febrem scarlatinam, urticatam, aliosque morbos infantum.

Therapia. Crura panno sicco, fumo aromatico

---

*) Lassus asserit se triennem linguae prolapsum sic curasse. Ueber die krankhafte Verlängerung der Zunge außerhalb dem Munde.

gummi benzoes imbuto friccentur. Interne detur eccoproticum et si morbus non cedit mixtura diuretica, quam in anasarca frigida comendavi.

Oedema scroti.

Tumor aquosus integumentorum communium scroti.

Diagnosis. Intumescentia scroti indolens, cuti concolor, ab initio adhuc rugosus et mollis, a digiti impressione foveam retinens. Tumor sensim increscens evadit durior, subpellucidus et rugas perdit. Subin scrotum ex uno latere magis est tumidum, et raphe scroti non in medio.

Prognosis. Morbus sine periculo, curatu facilis, saepe sponte evanescens.

Causa proxima. Impeditus reditus lymphae ex integumentis communibus scroti.

Causae excitantes. Contusio genitalium sub partu, refrigeratio eorundem. Subin morbus fuit haereditarius adeo ut pueri omnes in eadem familia cum tumido nascebantur scroto.

Therapia. Applicetur pannus laneus fumo gummi benzoes imbutus et leniter fricetur scrotum cum eodem vel cum spiritu Mindereri.

Hydrocele.

Tumor aquosus in tunica vaginali testiculi.

Diagnosis. Tumor scroti, indolens, cuti concolor, ab impresso digito foveam non retinens Cutis scroti semper manet rugosa. Tumor ab initio est mollis et fluctuans, sensim evadit durior et major instar vesicae aquosae, quae quandoque ad lumen pellucet. Penis est retractus adeo quidem, ut praeputium, si tumor valde magnus, in parte superiori et antica scroti umbilicum quasi referat. Plerumque tumor in uno tantum latere scroti residet, et si in utroque adest, unum latus scroti, altero est majus.

Prognosis. Tumor in infantibus facilius quam in adultis est resolubilis et omni vitae periculo caret.

Causa proxima. Impedita absorptio vaporis aquosi e cavo tunicae vaginalis testiculi.

Causae excitantes. Contusio vel refrigeratio scroti.

Therapia. Pannus cum fumo benzoes. Frictio cum spiritu Mindereri. Aqua calcis cum sale ammoniaco. Emplastrum mercuriale cum opio. Si resolutio diu non succedit evacuetur aqua ope lapidis caustici ut in chirurgia docetur.

Omphalocele seu hernia umbilicalis.

Tumor a viscere abdominali per umbilicum sub cutem elapso.

Diagnosis. Tumor umbilici rotundus, circumscriptus, indolens, cuti concolor, digitis in abdomen reponibilis. Sed datur etiam hernia congenita in qua viscera non per annulum umbilicalem exeunt, sed in qua in regione umbilicali magnus formatur saccus, in quo plerumque hepar cum aliis visceribus abdominalibus locatur, et e cujus medio funiculus umbilicalis plerumque exit.

Prognosis. Herniae umbilicales infantum post partum ortae facile curantur. Sed hernia hepatica congenita est incurabilis et brevi lethalis.

Causa proxima. Debilis ac incompleta annuli umbilicalis occlusio post partum, si hernia non est conginita.

Causae excitantes. Clamor validus infantis imprimis in situ horizontali. Vomitus vel tussis aut tenesmus fortis. Praematura ablatio fasciae umbilicalis. Eruptio funiculi umbilicalis ex umbilico. Formatio congenita.

Therapia. Herniae rite repositae imponatur sple-

niolum spiritu vini et aqua vulneraria Thedenii madidum. Dein splenium siccum et bracherium *Brunighausianum* *). Vel si hoc ad manus non est, imponatur spleniolis globus dimidius ligneus magnitudine nucis moscatae, per emplastrum adhaesivum frusto corrii densi vel chartae firmae agglutinatus, et fascia ad partem herniae latiore ad latera arctiore firmetur. Haec deligatio ad annum usque est adhibenda.

Bubonocele seu hernia inguinalis.

Tumor in regione inguinali a viscere abdominali per annulum inguinalem sub cutem elapso.

Diagnosis. Tumor in regione inguinali indolens, cuti concolor, sub clamore vel tussi infantis increscens, digitis in annulum reponibilis. In hernia simplici testiculus sub hernia separatim tangitur. In hernia autem *congenita* testiculus visceribus elapis involutus separatim tangi nequit.

Prognosis. Morbi curatio facilis, quandoque spontanea. Hernia simplex raro in infantibus incarceratur, subin id tamen in

*) Loder Journal 3 B. 1 St.

hernia congenita observatur et quidem cum summo vitae periculo.

Causa proxima. Annuli inguinalis relaxatio.

Causa excitans. Clamor validus infantis, vomitus, pertussis, colica flatulenta, tenesmus, lapsus in terram, terror infanti incusus, pressio inguinis sub versione foetus in utero. Moram diuturna testiculi in annulo inguinali saepe sequitur omentum vel intestinum, unde hernia nascitur congenita.

Causa disponens. Morbus raro est haereditarius. Plerumque primo vel secundo primum nascitur anno.

Therapia. Hernia rite reponatur et spleniolum spiritu vini et aqua vulneraria Thedenii madidum ac desuper splenium siccum applicetur, quod apto ligamine et in infantibus adultioribus bracherio pro infantibus est firmandum et ne recidiva fiat ultra annum adhibendum.

Parorchidium.

Tumor in regione inguinali a seriori testiculi descensu.

Diagnosis. Testiculus in uno vel utroque inguine instar monticuli ex annulo inguina-

li prominet, vel huic proxime adjacet. Tumor cuti est concolor, duriusculus et ab attactu dolet. Differt ab hernia inguinali defectu testiculi in scroto.

Prognosis. Testiculorum descensus in foetu plerumque septimo contingit mense. Quandoque mox a nativitate, sub in primum tempore pubertatis et subin nunquam observatur. Testiculus in inguine haerens pro hernia habitus et bracherio compessus pessime inflammatur imo in infantibus mortem inferre valet. Quandoque testiculum descendentem mox sequitur omentum vel intestinum et herniam congenitam format.

Causa proxima. Annuli inguinalis angustia. Sed quandoque pueri manu testiculos adeo sursum premunt, ut inguini quasi adhaereant.

Therapia. Annuli arctitudo balneo tepido vel cataplasmate emolliente relaxetur.

Bubo crescentium.

Tumor glandulae inguinalis a corporis incremento.

Diagnosis. Tumor in una vel utraque glandula inguinali, cuti concolor, renitens ac

subdolens. Quandoque aliqualis macies et arthritis adest.

Prognosis. Morbus omni caret periculo et brevi tempore sua sponte evanescit.

Causa proxima. Infarctus glandulae inguinalis. Morbus haud solum in infantibus puberibus utriusque sexus, sed etiam in junioribus, ut vidi, apparet.

Therapia. Tumor bis de die spiritu lavendulae lavetur et naturae relinquatur.

Scrophula fugax.

Tumor in glandula colli sine habitu scrophuloso.

Diagnosis. Tumor glandularis in uno vel utroque latere colli, cuti concolor, renitens, tactu dolens, sine signis habitus scrophulosi.

Prognosis, Morbus plerumque breve intra tempus iterum evanescit. Raro ad pubertatem usque permanet, raro in abscessum abit.

Causa proxima. Infarctus in glandula colli.

Causae excitantes. Refrigeratio colli, achores erumpentes vel suppressi, saburra gastrica.

Therapia. Collum tegatur fomento sicco, aromatico. *Interne* detur eccoproticum, dein aethiops antimonialis.

Fungus articularis seu Arthrospongus.

Intumescentia fungosa articuli majoris.

Diagnosis. Sedes morbi plerumque in genu rarius in cubito vel articulo pedis est. Morbus sibi relictus tria formare solet stadia.

1) Stadium *initii.* Intumescentia articuli adhuc exigua, dolor nondum fixus in eo, et articulatio adhuc mobilis.

2) Stadium *confirmatum*, Intumescentia articuli magna, ossa in ea valde tumida, articulatio dolorosa, rigida et perfecte immobilis.

3) Stadium *cariosum.* Partes molles, articulum ambientes formant hinc inde abscessus, qui sensim rumpuntur, et ulcera fistulosa ac cariosa relinquunt. Sensim supervenit febris hectica et mors.

Prognosis. Morbus periculossimus in tertio stadio fere semper lethalis. Etiam incisio tumoris mortem accellerat. Pessimus est fungus scrophulosus genu, qui etiam *albus* audit.

Causa proxima. An in primo stadio mitis, in secundo gravis inflammatio ligamenti capsularis, quae in tertio stadio in suppurationem et cariem ossium abit. Inflalio ossium in articulo videtur esse conamen ossium spatium vacuum explendi.

Causae excitantes. Contusio, distorsio, punctura articulationis. Depositio materiae morbosae, variolosae, morbillosae, scarlatinae, achorosae. Scrophulosis, rachitis. Quandoque nulla ex his causis ut in claudicatione spontanea infantum detegi potest.

Therapia. In primo stadio saepe sufficiunt fomenta ex herbis aromaticis oxycrato infusis vel vesicatorium aut

Emplastrum ad fungum articularem.

R. Gummi ammoniaci aceto scillitico soluti
Emplastri mercurialis aa unc. j.
Opii dr. iij.
S. Corio illitum applicetur tumori.

Denique sub tumore simul fonticulus poni potest et *interne* adhibeatur in omni stadio

Mixtura alcalina.

R. Corticis peruviani unc. ſs.
Coquatur in aquae communis unc. xij.
Colaturae unc. viij. adde
Salis tartari dr. ſs.
Syrupi corticum aurantior unc. j.
S. omni bihorio dentur duo cochlearia majora.

Omnibus incassum tentatis suadetur in stadio carioso amputatio ad vitam servandam.

Spina ventosa digitorum.

Tumor a carie interna alicujus ossis.

Diagnosis. In infantibus sedes morbi frequentissime est in quadam phalange digitorum, rarius in phalangibus pedis, in osse quodam carpi vel tarsi.

Morbi decursus tria format stadia.

1) Stadium *exordii.* Dolor sentitur obtusus in medulla phalangis, qui ab omni motu, non autem ab attactu externo augetur.

2) Stadium *confirmatum.* Dolor ab attactu augetur et partes incumbentes rubescere, dolere et intumescere incipiunt, ac si essent aere inflatae.

3) Stadium *exulceratum.* Integumenta tumoris sensim exulcerantur, et profluit sanies rubella vel nigricans et foetida. Ulcus evadit fungosum, demum saepe phalanx cariosa eliminatur.

Prognosis. Morbus incipiens quandoque sed raro iterum resolvitur. Plerumque diu durat et non nisi phalange cariosa exfoliata sanatur.

Causa proxima. In primo stadio inflammatio periostei interni ac cellularum medullae. In reliquis stadiis suppuratio et caries phalangis.

Causae excitantes. Violentia externa. Decubitus humoris morbosi, variolosi, morbillosi, venerei, scrophulosi aut febris malignae.

Therapia. In morbi exordio applicetur externe aqua vegeto mineralis vel balneum ex aqua aluminosa frigida *). *Interne* exhibeatur purgans antiphlogisticum, dein quotidie granum semis mercurii dulcis et sulphuris aurati antimonii.

Si vero suppuratio impediri nequit, promoveatur, et abscessus formatus incidatur ac exspectetur exfoliatio phalangis cariosae, quae volsella saepius est agitanda.

Obstipitas capitis.

Capitis permanens contractio ad unum latus.

Diagnosis. Infantes caput perpetuo ad dextrum vel sinistrum latus colli gerunt inflexum et caput manu premi nequit in situm erectum.

Prognosis. Morbus non quidem periculosus, sed curatu difficilis et turpitudinem inducens.

---

*) Hahneman Anleitung alte Schäden gründlich zu heilen. 1784. S. 176.

Causa proxima. Contractura permanens musculi sterno-cleido-mastoidei.

Causae excitantes. Consuetudo infantis capite perpetuo nutricis lateri uno tantum incumbendi. Refrigeratio colli. Gibbus in nucha. Tumor magnus et chronicus in opposito latere colli. Spasmus chronicus.

Therapia. Contractura musculi amotis causis relaxetur unguentis, emplastris et vaporibus emollientibus. Caput fascia apta sensim ad latus oppositam prematur. Ultimum foret remedium cauta dissectio tendinis inferioris musculi sterno-cleido-mastoidei.

Gibbositas.

Curvatura in quadam columnae vertebralis parte.

Diagnosis eruiter visu et tactu, si unus vel plures processus spinosi non in medio columnae vertebralis rite locentur

Forma gibbi datur quadruplex.

1) *Scoliosis.* Curvatura ad latus dextrum vel sinistrum. Concavitas flexionis frequentissime latus respicit sinistrum.

2) *Cyphosis.* Curvatura ad posteriora.

3) *Lordosis.* Curvatura versus thoracem. Haec varietas est rarissima.

4) *Gibbus serpertinus.* Si mox dextrorsum, mox sinistrum columna vertebralis est flexa.

Prognosis. Morbus infantum valde frequens et eo difficilius curatu, quo curvatura major et infans adultior. Post annum decimum vix amplius curatur.

Causa proxima. Debilitas ligamentorum vertebras in situ firmantium.

Causae excitantes. Originem habere potest ab infantum adhuc tenellorum fosciatione inaequali et nimis firma. A thoracibus balenaribus incongruis. Si teneri infantes semper uno et eodem portantur brachio, vel uni semper incumbere coguntur lateri. A situ eodem diu continuato inter discendum. A violentia dorso illata per contusionem, aut fortem corporis versionem lateralem aut versus posteriora inter ludos, luctationes vel onerum portationes in dorso.

Causa disponens. Primaria est diathesis rhachitica seu debilitas totius corporis. Hinc morbus non rusticis, sed nobilibus molliter educatis adeo est familiaris. Malum vix unquam est congenitum sed saepius haereditarium.

Therapia. Quando scoliosis adhuc in initio est, illi humero, in quem infans ex prava consuetudine corpus inclinat, imponatur climacis vel sub brachio ejusdem lateris geratur liber, aut aliud corpus majoris ponderis. Infans enim tali modo onustus in latus oppositum sese necassario recurvabit, ut corpus suum in aequilibrio conservet. Ex machinis extensoriis optima adhuc censetur, quam *le Vacher* excogitavit *).

Si vero rachitis causa est gibbositatis detur simul

Mixtura antirhachitica.

R. Radicis rubiae tinctorum unc. ſs.
Coquatur in aquae unc. x. ad colaturam unc. viij. Adde
Salis tartari dr. ſs.
S. omni bihorio dentur cochlearia duo.

Caries vertebrarum.

Abscessus cariosus in quadam vertebra latens.

Diagnosis. Oritur debilitas extremitatum inferiorum et simul columna vertebralis in

---

*) Memoir de l'Academ. Royal de Chirurgie. Tom. IV. p. 605.

loco quodam extrorsum curvari incipit. Denique crura penitus resolvuntur, non vero evadunt laxa simul, ut membra vere paralytica, sed potius fiunt rigida. Nascitur dolor in spina dorsi, qui se saepe in regionem epigastricam, umbilicalem, femora et crura cum sensu formicationis extendit. Sensim oriuntur abscessus in lumbis, natibus et femoribus, qui infantes tabe purulenta necant.

Prognosis. Morbus periculosissimus, plerumque lethalis, si suo in exordio non rite tractetur.

Causa proxima. Decubitus humoris morbosi ad vertebras vel ligamenta vertebrarum.

Therapia. Jam in morbi exordio penes processum spinosum vertebrae gibbosae duo ponantur fonticuli, qui tam diu in suppuratione serventur, ac crura sunt rigida. *Interne* detur mixtura antirhachitica.

Labium leporinum.

Labii unius vel utriusque fissura sicca.

Diagnosis eruitur visu. Morbus plerumque occurrit in labio superiori. Margo fissurae est mollis, ruber et reliquae labii substantiae aequalis. Quandoque in eodem la-

bio duae adsunt fissurae. Quandoque simul ossa maxillaria et palatina, imo palatum molle ipsum fissum, adeo quidem ut oris cavum cum narium cavo sit continuum. Infantes in hoc casu difficilius sugunt, et etiam deglutiunt, quia liquida ori ingesta per nares iterum regurgitant.

Prognosis. Sola operatio juvat. Haec optime, ut experientia docet, a secundo ad quartum post nativitatem instituitur mensem. Amplitudo fissurae raro a defectu substantiae, sed plerumque a musculorum contractione oritur. Ossium hiatus in palatu praegressa labii reunione plerumque solius naturae viribus conglutinatur.

Causa proxima. Morbus a nisu formativo erroneo in utero oritur.

Therapia exigit ut labia sicca fissurae forfice auferantur, ac dein sutura circumflexa uniantur, ut chirurgia docet.

Ancyloglossum.

Immobilitas linguae ob frenuli sublingualis arctitudinem vel ligamenta praeternaturalia linguae.

Diagnosis. Infans neonatus non sugit, si papilla mammae vel digiti apex ori inditur.

Linguae apex profunde locatur in cavo sublinguali oris, nec digitus sub linguam moveri et illam elevare potest. Sed ipsa vitia linguae optime conspici possunt, si infans plorat, quod narium compressione cum digitis effici potest. Tunc frenulum nimis arctum apparet et quandoque ad apicem linguae usque excurrit. Quandoque frenulum naturale est, sed adsunt filamenta vel membranae praeternaturales, quae a lateribus linguae ad gingivam pergentes mobilitatem linguae impediunt et quibus discissis infans illico sugit.

Prognosis. Morbus in mille infantibus vix semel observatur, at ob suctionem impeditam foret lethalis, si operatio non institueretur.

Causa proxima. Nisus formativus erroneus in lingua.

Therapia. Apex frenuli sublingualis aliquantum discindatur forfice, juxta superficiem flexa, et apicibus obtusis instructa, ne arteria ranina ledatur *). Etiam ligamenta lateralia, si adsunt, dissecari deberent,

*) W. Schmid Geburtshülfliche Fragmente.

Concretio digitorum.

Coalitus digitorum manus vel pedis.

Diagnosis. Morbus duplici sub forma comparet. Digiti mediante membrana intermedia, instar pedis anatini in omni sua longitudine, aut ex parte duntaxat juncti inveniuntur. Vel coalitio adeo est arcta, ut digiti per propriam cutem aut musculos imo ipsa ossa cohaereant.

Prognosis. Concretio membranacea tuto discindi potest. In concretione vero ossea, ob denudationem articulationum, dissectio periculo non caret.

Causae excitantes. Morbus plerumque est congenitus, sed digiti infantis liquido fervido ambusti, vel variolis exulcerati facile concrescunt, si linteum non ponatur intermedium.

Therapia. Digiti concreti juxta longitudinem discindantur scalpello, et toto sanationis tempore separati serventur intermedio linteamine, aqua calcis et spiritu vini madido.

Phimosis.

Praeputii imperforatio vel apertura nimis angusta.

Diagnosis eruitur visu. Orificium praeputii minus est, quam urethrae, adeo ut glans denudari nequeat. Mictus est in morbo perfecto impossibilis, in imperfecto autem ab urina inter praeputium retenta, ejusdem inflammatio, dysuria et muci puriformis excretio nascitur.

Prognosis. Phimosis perfecta foret lethalis, si apertura non fieret. Sed morbus curatu facilis.

Therapia. Praeputium plerumque urina inflatum forfice incidatur et utrinque sufficienter dilatetur. Ne vulnus iterum concrescat, impleatur linteo carpto.

Atresia ani.

Ani imperforatio vel apertura nimis angusta.

Diagnosis eruitur visu. *Forma* atresiae ani esse potest sextuplex.

1) Atresia *imperfecta*. Si ani orificium adeo est angustum, ut meconium duntaxat guttatim exprimatur.

2) Atresia *membranacea externa*. Quando ani orificio praetensa est membrana. Haec quandoque adeo est tenuis, ut meconium transpareat, quandoque vero adeo crassa, ut nullum adsit ani vestigium.

3) Atresia *membranacea interna.* Quando ani orificium externum adest, sed membrana occludens altius in cavo intestini recti residet. Haec cum stylo obtuso vel digito minimo explorari debet.

4) Atresia *desinens in saccum coecum.* Nullum adest ani vestigium et supra ani cutem desinit intestinum in saccum coecum, qui si statim supra cutem locatur, fluctuatione percipitur, non vero si nimis alte haeret.

5) Atresia *desinens in vaginam.* Meconium exit e vagina. Foedum hoc vitium saepe integram per vitam durat.

6) Atresia *desinens in vesicam urinariam.* Meconium exit cum urina. Sed plerumque sequitur gangraena vesicae.

Prognosis. Omnis atresia, in qua meconio exitus procurari nequit, lethalis est. Abdomen sensim elevatur, vomitus meconii, colica, enteritis et mors.

Therapia. Atresia imperfecta saepius sola spongia cerata dilatari potest. Membranacea externa sectionem exigit cruciatam. Membranacea vero interna et saccata acu triquetra aperiri, et si meconium prodit, dein tenui cultro oculto dilatari debet. Sed operatio haec valde periculosa, difficilis et incerta est.

Atresia urethrae.

Imperforatio urethrae.

Diagnosis eruitur visu, si est externa vel exploratione cum cathetere exiguo, abdomine supra ossa pubis elevato et tenso, urinae excretione nulla et tenesmo ad urinam. *Forma* morbi triplex esse potest.

1) Atresia *membranacea*. Quando pellicula tenuis vel crassior orificium urethrae duntaxat occludit.

2) Atresia *glandosa*, si ipsa glans est concreta.

3) Atresia *meatus urinarii*. Is quandoque totus, subin a medietate ad glandulam prostatam usque est concretus.

Prognosis. Atresia membranacea et glandosa est curatu facilis, totius vero vel medii meatus urinarii est incurabilis. Sed natura interdum at raro urachum adeo dilatat, ut urina totam per vitam ex umbilico exeat. Quandoque ulcus exiguum in scroto excitat, quod urinam emittit.

Therapia. Atresia membranacea perforetur culto, glandosa autem parva acu triquetra. In concretione vero totali meatus urinarii fiat paracentesis vesicae urinariae per intestinum rectum, ut vita prolongetur.

Atresia vulvae.

Imperforatio vulvae.

Diagnosis eruitur visu. Morbi triplex datur *forma*, sub qua comparet.

1) Atresia *labialis*. Vulvae apertura adeo est concreta, ut sulcus duntaxat adsit, qui vestigium rimae naturalis pudendorum ostendit et urinae profluvium plerumque est impeditum.

2) Atresia *hymenea*. Quando hymen aperturam vulvae occludit. Raro urinae emissionem impedit.

3) Atresia *membranacea*. Quandoque peculiaris membrana in anteriori vulvae parte orificium urethrae tegit, quae exitum urinae retinet.

Prognosis. Atresia vulvae, quae simul urinae emissionem impedit, illico est aperienda. Hymenea autem differri potest.

Therapia. Atresia labialis longitudinaliter juxta vestigium rimae discindetur. Idem fiat si hymen vel membrana praeternaturalis orificium meatus urinarii occludat.

Curvatura crurum.

Recessus crurum a figura recta in curvatam flexa.

Diagnosis eruitur visu. In nonnullis genua introrsum vel extrorsum, in aliis crura instar arcus sunt flexa. Progrediuntur tales infantes titubando et cum infirmitate, ac turpitudine.

Prognosis. Curvatura rhachitica post septimum vel nonum annum saepe sponte evanescere solet. Post annum vero vigesimum morbus manet incurabilis.

Causa proxima. Ossium mollities rhachitica.

Causae excitantes Si infans justo maturius stare aut ambulare cogitur, praesertim rachiticus. Inepta standi consuetudo.

Causa disponens. Morbus maxime ingruit a 2 ad 4 vel 5 annum quia epiphyses ossium adhuc sunt cartilaginei.

Therapia. Interne adhibeatur tota cura antirhachitica. Externe fiant frequentes frictiones et extensiones crurum et morbus relinguatur viribus naturae. Nam ocreae et machinae in hunc finem excogitatae plerumque raro quid prosunt et firmius adstrictae frustra infantes cruciant.

Valgitas pedis seu pes valgus.

Plantae superficies adeo introrsum inversa, ut infans margini externo pedis ingrediatur.

Diagnosis eruitur visu. Pes totus adeo est inversus ut solea pedis situm habeat verticalem versus latus internum. Dorsum pedis extrorsum pergit, pollex versus coelum prospicit et digitus minimus et ejus os metatarsi tangit terram. Ingressus infantis est titubans, fere claudicans et cito defatigans. Margo externus pedis evadit callosus.

Prognosis. Morbus in infantibus junioribus curabilis adhuc est, sed in senioribus ut post 14 annum vix amplius curatur.

Causa proxima. Abnormis situs ossium tarsi adeo ut astragalus magis antrorsum, extrorsum ac magis inferius versus sit locatus. Os scaphoideum introrsum retrorsum, ac sursum oblique est versum. Calcaneus vero cum sua prominentia posteriori introrsum et sursum vergit. Cum sua vero extremitate anteriori et socio osse cubiformi tangit terram *).

Causae excitantes. Morbus vix unquam haereditarius sed plerumque congenitus est. Sed potest etiam post partum oriri a mala involutione et portatione infantis. Si infans nimis cito pedibus insistere aut

*) Chiron 1 B. 1 St. p. 217.

meare cogitur. A pedis distorsione neglectâ. Ab ulcere in planta pedis, ob quod infans perpetuo insistit margini externo pedis.

Therapia. Illico applicetur ad pedem apparatus Cel. *Scarpa*, qui omnium est optimus *).

Naevus.

Macula vel excrescentia congenita in cute.

Diagnosis. Plerumque unicus raro plures in corpore adsunt naevi. Frequenter macula est lenticularis, sed datur etiam major et irregularis, fusca, livida vel nigra. Quandoque macula est lata, striata et rubra, quae flammae vel vini rubri in faciem quasi effusi refert formam in facie mamma vel alia corporis parte. Excrescentia plerumque verrucae majori est similis ac fungosa, varii coloris, figurae et magnitudinis. Frigore hyemali aliquantum contrahi, calore vernali aliquantum augeri solent. Obstetrices his naevis nomen imponunt rei, cujus similitudinem pro se ferre opinantur. Sic infantes referunt na-

*) Scarpa Abh. über die angebornen krummen Füsse bey Kindern.

tos, qui ficum, rubum idaeum, fragam, morum, farcimen et si naevus pilosus est, murem vel erucam secum tulerint.

Prognosis. Naevi plerumque totam per vitam manent immutati et innocentes, si acribus non iritantur. Naevus ab attactu facile sanguinem fundens, praesertim in facie subin cancrescit et naevi excisi saepe iterum redeunt.

Causa proxima. Nisus formativus erroneus in quodam cutis loco.

Causa excitans ignota. Non videntur naevi excitari a vehementi matris gravidae cupiditate vel aversatione, nam etiam in plantis inanimatis quandoque observantur naevi.

Therapia. Naevi *maculosi* praesertim rubri, evanescunt quandoque, si ope splenioli omni bihorio spiritus vitrioli fortior applicetur *) vel bis de die butyro antimonii illiniantur. Naevi *petiolati* optime auferuntur ligatura, et naevi excrescentiales plani pasta Vogeliana. Partes naevo vicinae emplasto adhaesivo, in quo foramen, ad naevi magnitudinem excisum est, defendantur, naevo autem ipsi imponatur

*) Mursina Abhandlung von den Krankheiten der Schwangern 2c. Th. 2. S. 288.

pasta, ex parte anatica calcis vivae, ac saponis veneti confecta. Sic intra 12 horas naevus in escheram mutatus succedente suppuritione secedit, imprimis si pastae applicatio repetatur.

Pars superflua.

Numerus alicujus partis abundans.

Diagnosis. Sic infantes fuere nato cum capite duplici, cum brachiis vel cruribns tribus. Sed frequentius nascuntur infantes cum digitis 6 vel 7 in manu vel pede. Horum digitorum alii *perfecti* sunt et ex veris phalangibus et musculis constant, adeo ut nonnunquam 6 ossa metacarpi vel metatarsi etiam adsint. Subin vero digitus supernumerarius est *imperfectus.* Sic pollex vel alius digitus est duntaxat divisus vel semiduplex, vel e bene formato digito alius minor et plerumque exossis excrescit.

Prognosis. Digitus supernumerarius valde est incomodus et manui turpitudinem conciliat.

Therapia. Digitus supernumerarius lege artis e suo articulo exscindatur. Et hoc quidem jam primo vitae anno, infantes enim ope-

rationis inscii non illam timent, et vulnera in illis facile sanantur.

Pars deficiens.

Defectus alicujus partis congenitus.

Diagnosis. Sic infantes nascuntur interdum quibus digitus, brachium vel crus deest. In infantibus acephalis pars cranii superior deficit.

Prognosis. Malum est immedicabile. Extremitas deficiens machina artificiali suppleri debet.

Pernio.

Cutis inflammatio a gelu nimis intenso.

Diagnosis. Frequentissime afficiuntur digiti manuum ac pedum, calcaneus, auriculae vel nasi apex. Pars incipit rubere, dolore, ardere et in calore vel ad atmosphaerae mutationem prurire. Sensim cutis livescere ac epidermis in unam pluresve bullas, humore pellucido repletas elevari incipit, quae ruptae cutem exulceratam exhibent. Dolor et tumor augentur adeo ut febris quandoque nascatur. In summo frigoris gradu, diu protacto partes adeo sphacelescunt ut integri digiti, manus vel pedis et ut vidi penis decidant.

Prognosis. Perniones mites facile curantur, imo subin brevi iterum evanescunt, graviores vero subin integrum per hyemen durant et subitaneo calori expositi facile gangraenescunt. Quandoque ipsa ossa infestantur.

Causa proxima. Gelu cutem irritans, ac sensim vasa suo calore ac vi vitali privans.

Causa excitans. Infantes diutius frigori expositi, aut ex cubiculo valde calido in frigus subito exeuntes vel ex eo redeuntes subito manus vel pedes furno calido apponentes imprimis afficiuntur pernionibus.

Causa disponens. Infantes facile sudantes, vestimentis pelliceis ac hypocaustis calidis assueti, pernionibus sunt valde obnoxii. Quidam infantes ex singulari dispositione, omni hyeme pernionibus laborant.

Prophyllaxis. Arcent perniones inunctus partium frigori exponendarum cum pinguedine et evitatio subitaneae calefactionis earundem.

Therapia. In pernionibus adhuc clausis vel jam exulceratis applicetur

Unguentum ad perniones.

R. Axungiae porcinae
Sevi cervini
Olei laurini

Cerae citrinae aa unc. j.
Camphorae dr. ij. Solvetur prius in spiritus vini rectificati dr. iv..

Dein reliqua invicem liquata admisceantur.
S. ope lintei applicetur partibus affectis.

In pernionibus vero gangraenescentibus profuit usus internus ac externus opii.

Hordeolum.

Inflammatio glandulae Meibomianae in tarso palpebrarum.

Diagnosis. Tuberculum rubrum, calens, subdolens, pruriens, magnitudine granum hordei aequans, exiguo furunculo simile, fere semper in suppurationem abiens.

Prognosis. Morbus sine periculo et curatu facilis. Sed quibusdam in infantibus malum saepius redire solet.

Causa proxima. Decubitus materiae morbosae ad glandulam Meibomianam, ut achorosae vel scrophulosae vel alius.

Therapia. Applicetur tuberculo exiguum emplastrum diachylon compositum ac desupet exiguum cataplasma ex semines lini in lacte cocto et croco. Tumor emollitus digitis exprimatur.

Puorrhoea palpebrarum seu Ophthalmia neonatorum.

Muci puriformis effluvium copiosum e palpebris neonatorum.

Diagnosis. Morbus sibi relictus plerumque tria format stadia.

1) Stadium *prodromi*. Neonati primis post partum diebus evadunt inquieti, clamant et oculos subito claudunt, si versus lucem portantur et tacent illico ex ea remoti.

2) Stadium *purulentum*. Sensim palpebrae intumescunt, occlusae servantur, et mucus puriformis e palpebris effluere incipit, quo hae imprimis sub somno conglutinantur. Quotidie profluvium puriforme ingenti copia augetur, ac non raro quatuor et plures durat hebdomades. Quadoque malum ex uno oculo in alterum migrat et bulbus oculi sanus apparet, sensim vero albuginea et cornea pure obducuntur et cornea evadit flaccida rugosa, obscura. Quandoque interna palpebrarum superficies, imprimis sub clamore infantis invertitur.

3) Stadium *febrile*. Infantes post aliquot hebdomades appetitum et somnum perdunt, ac febricitare incipiunt, emaciantur et moriuntur tabidi.

Prognosis. Morbus haud raro periculosus, rite tamen tractatus non immedicabilis. Quandoque ex opacitate corneae totam per vitam remanet coecitas.

Causa proxima nondum exacte nota. Videtur decubitus materiae morbosae ad glandulas palpebrales.

Causa excitans non magis nota. Accusatur lux nimis fortis et subito in oculos neonati incidens. Acrimonia venerea aut scrophulosa. At vidi infantes a sanissimis parentibus procreati hoc morbo laborasse.

Therapia. Interne detur eccoproticum et externe instilletur

Aqua ophthalmica Loderi.

R. Aluminis crudi gr. viij.
Vitrioli albi gr. ij.
Aquae rosarum unc. ij.
S. saepius de die instilletur oculo.

Ophthalmia infantum.

Inflammatio membranae albugineae oculi.

Diagnosis eruitur visu. Morbus plerumque duo format stadia.

1) Stadium *acutum.* Albuginea et interna palpebrarum superficies rubet, calet, pru-

rit et pungit. Oculus lachrymatur et lucem non fert. Cutis plerumque sicca, horripilatio vaga et pulsus aliquantum celerior observatur. Intra quatuor vel quinque dies omnia symptomata praeter albugineae ruborem fere in ophthalmia levi remittunt.

Si vero ophthalmia adest *interna*, quae in membrana uvea et iride residet, dolor vehementissimus intra oculi bulbum, rubor iridis, lucis intolerantia, cephalalgia et febris simul adsunt.

2) Stadium *chronicum*. Inflammatione acuta oculi evanida subin diu adhuc plures hebdomades imo menses rubor albugineae et oculi sensilitas exaltata remanet, imprimis si collyria emollientia adhuc continuantur.

Prognosis. Ophthalmia acuta plerumque gravior et periculosior est chronica. Interna vero est pessima, saepe enim cataractam et rupturam oculi causat.

Causae excitantes. Refrigeratio infantis ex cubiculo calido in aërem frigidum subito portati et vic e versa. Dentitio difficilis. Saburra verminosa, morbus scrophulosus, et suppressio subitanea achorum, herpetis, scabiei. Morbilli et scarlatina. Sed haud

raro ophthalmia pertinax pede presso sequitur desquamationem variolarum ubi laxantia fuere neglecta.

Therapia. In ophthalmia *acuta* interne detur purgans, applicentur hyrudines ad tempora, vesicatorium ad nucham, et umbraculum e serico viridi ad frontem. Palpebrae conglutinatae saepius de die aliquantum diducantur ut lachrymae acres effluere possint. Si vero albuginea adeo tumida ut palpebris vix tegatur, portio ejusdem exscindatur.

Medicamenta *externa* applicanda sunt sacculi e foliis malvae in lacte coctis, cataplasma e mica panis, croco et lacte vel e pomis in pulpam coctis. Sed omni bihorio haec sunt renovanda. Nimius oculi ardor mucilagine seminum cydoniorum vel ovi albumine in decocto malvae diluto minuitur et nocturna conglutinatio palpebrarum impeditur, si tarsi circa vesperas illiniantur unquento e cera et oleo.

Si vero ophthalmia jam in stadio est *chronico* sola roborantia conveniunt, ut

Aqua ophthalmica Scarpii.

R. Vitrioli albi gr. vj.
Aquae rosarum unc. vj.

Mucilag. semin. cydonior. unc. j.
Spiritus vini camphorati gt. xx.
S. omni bihorio aliquot guttae externo oculi angulo instillentur.

Aqua ophthalmica Conradi.

R. Aquae rosarum unc. iii.
Mercurii subl. corrosivi gr. ſs.
Mucilag. semin. cydonior. dr. j.
Laudani liquidi Sydenhami sc. ij.
S. ter de die aliquot guttae immittantur externo oculi angulo.

Unguentum ophthalmicum Janini

R. Axungiae porcinae purissimae unc. ſs.
Tutiae praeparatae
Boli armeniae aa dr. ij.
Mercurii praecipitati albi. dr. j.
Misceantur exactissime in unguentum.
S. Omni die semel ope penicilli lentis magnitudo illiniatur sub palpebram inferiorem.

Nubecula corneae.

Obscuratio transparens corneae.

Diagnosis eruitur visu. Obscuratio est duntaxat levis, superficialis et transparens. Iris et pupilla adhuc conspici possunt, et aegrotus objecta omnia per nebulam quasi destinquit. In albuginea autem semper fasciculus vasorum varicosorum apparet.

Prognosis. Morbus periculosus, nam sibi relinctus facile in leucoma abit.

Causa proxima est ophthalmia chronica praegressa vel adhuc praesens cum venis varicosis albugineae.

Causae excitantes. Ophthalmia chronica.

Therapia. Fasciculus venosus forfice curvata exscindatur ex albuginea.

Leucoma seu albugo.

Opacitas corneae totius vel partialis.

Diagnosis eruitur visu. Adest macula opaca, quae recens lactea, inveterata autem cretacea est et *albugo* vocatur, si non totam obsidet corneam, alias *leucoma* audit; quae aegrotum visu privat.

Prognosis. Morbus recens in infantibus quandoque sponte iterum evanescit, inveteratus vero est incurabilis Subin tamen usus medicaminum plures per menses diligenter adhibitus praeter omnem spem juvit.

Causa proxima. Effusio lymphae coagulabilis inter lamellas corneae.

Causae excitantes. Praegressa ophthalmia acuta corneae. Variola in cornea nata.

Therapia. Medicamenta in hoc morbo laudata sunt oleum nucum juglandium aliquantum

rancescens et omni trihorio oculo instillatum. Fel taurinum. Succus recens Centaurii minoris. Unguentum ophthalmicum Janini vel

Unguentum ad leucoma.

R. Tutiae praeparatae dr. j.
Aloes
Mercurii dulcis aa gr. ij.
Butyri recentis insulsi unc. ſs.
M. S. pisi magnitudo alliniatur corneae aliquoties de die.

Aqua ophthalmica saphyrina.

R. Salis ammoniaci scr. ij.
Viridis aeris gr. iv.
Aquae calcis unc. viij.
M. et post 24 horas filtretur. S. instilletur aliquoties oculo.

Pulvis ophthalmicus Baldingeri.

R. Sacchari albi
Cremoris tartari
Tutiae praeparatae
Boli armenae rubrae aa dr. j.
Misceantur in pulverem. S. Exigua portio bis per diem ope cochlearis auricularis applicetur sub palpebram inferiorem et palpebris clausis fricetur cornea.

Strabismus seu Luscitas.

Axium opticorum directio inaequalis. sub intuitu alicujus objecti.

Diagnosis. Quandoque unus, subin oculus uterque strabismo laborat. Infantes oculum unum in objectum, quod videre cupiunt et alterum eodem tempore in aliud vertunt objectum. Hinc oculi convergunt vel divergunt, vel unus oculus sursum, alter deorsum movetur.

Prognosis. Morbus non quidem est periculosus, sed turpitudinem et visum debiliorem inducit. Subin in infantibus iterum evanescit et facilius curatur si a mala consuetudine quam si a praegressa eclampsia originem habet.

Causa proxima. Inaequalis axium opticorum directio.

Causae excitantes. Prava consuetudo infantis oculum continuo unum versus latus dirigendi, ut si cunae adeo locantur ut lux retro caput infantis vel lateraliter tantum incidat. Si infans subitaneo afficitur terrore. Denique mitrae latera nimis prominentia, contusio oculi, nutrix lusca et praegressa infantis eclampsia strabismi esse potest causa.

Causa disponens. Neonati facile evadunt strabones, quia oculorum axes opticos in idem objectum dirigere nondum didicerunt usu frequentiori.

Therapia. Si unus duntaxat oculus strabismo laborat, debet oculus sanus per sex menses fascia obvellari ut oculus morbosus assuescat recte intueri. Si vero strabismus in utroque oculo observatur, obvelletur oculus unus per sex menses ac per idem tempus oculus alter, priori aperto servato.

Psellismus.

Difficultas vel impotentia quasdam litteras vel syllabas recte pronuntiandi.

Diagnosis eruitur auditu. Hoc vitium loquellae ante secundum vel tertium aetatis annum in infantibus quibusdam qui valde tarde loqui discunt, vix percepitur. Forma psellismi maxime olvia est.

Haesitatio. Infantes in pronuntiatione syllabarum omnium haesitant, easque saepius repetunt. Sic loco caesar dicunt cae, cae, caesar.

Rotzacismus. Rottacitantes litteram R vel repetunt vel cum stridore pronuntiant.

Lamdacismus. Lallantes litteram L geminant;

vel loco R pronuntiant L. Sic loco triangulus vel frosch dicunt Dleyangulus vel flosh.

Blaesitas. Blaesi certas consonantes duras vertunt in molles. Sic loco T pronuntiant D.

Balbuties. Balbutientes litteras labiales, B. P. et M difficulter vel penitus pronunciare nequeunt.

Xismus si X pronuntiari nequit. Sic loco Hexe vel fixe dicunt Heske vel fiske.

Prognosis. Vitium loquellae ingratum sola pubertate saepe emendatur. Si vero a linguae vitio organico oritur, totam per vitam est incurabile.

Causa proxima. Vitium in organis loquellae, at persaepe incognitum.

Causae excitantes. Linguae volubilitas, magnitudo excedens, vel dificiens, fraenulum nimis arctum, labium leporinum, dentium defectus etc.

Therapia. Parentes curent, ut syllaba vel littera vitiose pronunciata centies ac centies de die ab infante recte pronuncietur. Subin profuit frequens volutio lapidum exiguorum in ore.

Nigredo dentium.

Dentium omnium color nigricans.

Diagnosis eruitur inspectione oris. Quandoque dentes lactei jam nigrescrunt et dentes perennes jam in suis alveolis corrumpuntur se non evolvere valent et maxilla manet brevior.

Prognosis. Morbus raro curabilis, ori tupitudinem concilians, masticationem et loquellam dificultans.

Causa proxima. Superficies dentis poris flavis vel nigricantibus erosa est.

Causa excitans. Frequentissima est rachitis, sed etiam morbus scrophulosus, scorbutus infantis et tabes vel hectica nigredinis esse possunt causae.

Therapia. Interne adhibeantur antirachitica, vel medicamina causae morbi adversa. Externe os eluatur colutorio cum oleo tartari per deliquium mixto.

Dentitio obliqua.

Situs obliquus unius vel plurium dentium.

Diagnosis eruitur oris inspectione. Dens obliquus antrorsum vel retrorsum est flexus aut ad latus vertitur. Quandoque omnes

dentes ob spatii defectum irregularem habent situm.

Prognosis. Dentes lactei vix unquam sed plerumque perennes vitio situs obliqui laborare solent. Conciliant ori turpitudinem ac laedunt quandoque linguam vel buccam.

Causa proxima. Abnormis dentis evolutio ob spatii defectum vel causam non cognitam.

Therapia. Ansa ex filo collo dentis oliqui prope gingivam applicetur, et filum ad dentes vicinos firmetur. Omni biduo vel triduo nova applicetur ansa. Vel lamina aurea aut eburnea foraminibus instructa applicetur denti obliquo et simul dentibus vicinis, ac ope filorum firmetur sensim ac sensim fortius.

Dentes nimis vicini separantur filis vel lamellis ligneis tenuibus in dentium interstitia impositis.

Surditas congenita.

Impotentia congenita sonos percipiendi.

Diagnosis eruitur, si infans ad strepitum majorem excitatum non attendit. Infantes a nativitate surdi etiam necessario muti manent, non quia simul voce carent, sed

loquellae tyrocinio ob surditatem destituntur. Exclamant enim A cum gaudent I cum irrascuntur. O cum commiserantur, etc. Interim hi miseri plerumque acutiori visu et tactu gaudent.

Prognosis. Morbus rarissime curabilis.

Causa proxima. Vitium organicum quod soni penetrationem ad nervum auditorium impedit, sed vita durante plerumque incognitum.

Therapia hinc nulla innotescit. Sed tentetur galvanismus et addiscat infans a perito informatore alphabetum digitale, cujus specimen, quod Viennae in instituto mutosurdorum traditur hic, in tabula exhibeo.

Nuper laudata perforatio tympani ad auditum conciliandum adhuc pluribus indiget experimentis. Si meatus auditorius externus concretus, discindatur et turunda servetur apertus.

Omissa

ad paginam 21, post lineam 15. Evacuato meconio morbus syrupo diacodii vel papaveris albi chochleatim dato subin facile fugatur.

INDEX MORBORUM.

gregatim habitant in urbibus,
n eremo artificiali subsolitarie
tur. Hi crepitaculum quasi in
gerunt, veluti Crotalus. Quo-
nim stimulo carnis aguntur,
pruritum hunc suum pulsan-
npanam fratribus annuntiant,
n unusquisque gratulabundus
o clangore fausto omni ap-
t, et sic concupiscentia unius
nnem sylvam centies resonat.
oretae hi barbam pascunt, nec
nt ex eremo reduces.
persa haec olim per Asiam spe-
familias ab Alberto Patriar-
ierosolymitano anno 1205 coa-
stituta fuit saeculo 16 a The-
irgine Hispana, qua jubente,
s caligis anum, et pedes de-

taglie, detto dai Francesi *Mages-trippes.* Avido di carne umana, traffica d'uomini; spoglia gli Europei, porta la preda ai Pirati d'Affrica e d'Asia. Ritornato dal Levante per certo vezzo fratesco vuol parer vecchio ed anziano, e lascia crescer la barba.

Seguendo il costume de' viaggiatori e mercatanti, è privo di moglie propria (se non forse nella Spagna pel calor del cielo), e attacca l'uncino alle altrui. Il marito cui va per casa il Trinitario, si ricordi del cervo cornuto, che per avvertire dell'imminente pericolo sempre accompagna i Padri della specie, Gioanni di Matha, e Felice di Valois. Costoro per esortazion di un cervo separarono dagli altri Fra-